SYMBOLORVM & EMBLEMATVM EX RE HERBARIA DESVMTORVM CENTVRIA VNA COLECTA

A

IOACHIMO CAMERARIO MEDICO NORIMBERG.

In quib⁹ rariores Stirpium proprietates historiæ ac Sētentiæ memorabiles nō paucæ breuiter exponūtur.

AN° SALVT CIↃ·IↃ·XC·



Expurgatus ao de 1723.
D. Andrade
calif.

NOBILI AC MAGNIFICO VIRO DOMINO IACOBO CVRTIO A SENFTENAV, &c. SACR. CÆSAREÆ MAIESTATIS

Consiliario intimo, ac Procancellario dignisſ. Domino ſuo colendisſ.

S. D. Perantiquam conſuetudinem, ac valde conuenientem modum philoſophandi, ac docendi eſſe, per icones, ſimilitudines, parabolas, hieroglyphica, & ejusmodi alia (quæ Plato in Phædro vno εἰκονολογίας *nomine complexus eſt) rem propoſitam tractare, non ſolum philoſophorum ſcripta plurima, ſed etiam ſacrarum litterarum autores abunde teſtantur. Nec vlli dubium eſſe poteſt per ejusmodi compendioſam ac ſimul ingenioſam doctrinam animos hominum*

minum inprimis moneri, ac multis modis instrui. Nam hærent profecto, (præsertim apud vulgus) hac ratione sub quibusdam inuolucris & artificiosis inuentionibus præcepta de virtute ac bonis moribus eo facilius ac melius, quod simul etiam rerũ Naturalium proprietates admiratione dignæ, nec non rerum gestarum memorabiles euẽtus varijs exemplis exponantur, quæ duo maxime idonea & apta esse solent, quibus tum Dei Opt. Max. omnipotentia, bonitas, sapientia ac prouidentia dilucide confirmetur, tum de varijs historijs inter sese collatis judicium nostrum & prudentia nõ parum informetur atq; stabiliatur. Pertinẽt autem ad hanc classem quoq; Symbola & Emblemata (de quibus in hoc libro agere studemus) quæ quidem non aliter inter sese differũt, nisi quod hæc satis perspicue & libere res sub oculos ponant, illa vero Laconismum quasi quẽdam potius sapiant, ac

σιωπό-

μως. *id eſt, breuitate conciſa & interdum nonnihil tecta omnia tractent. Hoc itaq; laudabile inſtitutum, cum mihi quoq; magnopere ſemper arriſerit, ꝑ viribus ſequendum ac imitandum exiſtimaui, præſertim vt plurimum cum cognitione rerum naturalium ac potiſs. Rei Herbariæ coniũctum, atq; ideo haſce philologicas & ethicas meditationes partim à meo exiguo ingenio ꝑfectas, partim ex alijs ac inprimis Italicis ſcriptis collectas, quando in hac mea ætate ingraueſcente quippiam ocij à moleſtiſs. laboribus fuit conceſſum, vel interdum ob infirmiorem valetudinem quieſcendum erat, tandem abſoluere ac cum alijs communicare volui. In quibus ſi forte propter varias occupationes meas minus elaborati aliqd inerit, ſpero nihilominus æquum lectorem id in bonam partem interpretaturum, mihiq; amice veniam conceſſurum eſſe. Non me fugit, ſecundum ſentẽtiam* συμβολογράφων

 recen-

recētiorum, ac præſertim Italorū, qui huic liberali ſtudio magna cum laude incumbūt, in hiſce ſymbolis nonnullis poſſe maiorem perfectionem requiri, cum anima, id eſt, breue ac ſuccinctum dictum, corpori ſiue picturæ additum, non ſtatim omnibus ſine diligenti inueſtigatione ſeſe patefacere debeat, quod in Emblematis potius permittitur, (taceo plures alias regulas hac in parte expoſitas ab autoribus, nec mihi prorſus incognitas) ſed ingenue fateor, me interdum potius ad proprietatem plantarum, vnde hæc vniuerſa ſunt deſumta, tanquam ad profeßionem mihi propriam, quam ad alias ἀκριβολογίας, *nec ipſas tamen ſuo loco negligēdas voluiſſe reſpicere, cum præſertim non poſtremos ſymbolorum ſcriptores Iouium, Ruſcellum, Contilem & alios idem quandoque factitaſſe videamus. Quod ſi hæc aliis non diſplicuiße animaduertero, ad reliqua in hoc genere inchoata & paulo poſt abſoluen-*

absoluenda, Deo adjuuante, eo libentius me conferam. Cum vero hasce meas lucubrationes in lucem dare cõstituissem, non dubitaui eas potiss. ad Tuam Mag^am. ac Praest^am. mittere, illique dedicare, primum vt ipsius autoritate ab obtrectatorum censuris eo tutiores esse possent, deinde quod scirem T. M. ac P. ab ejusmodi liberalibus studijs non solum non esse alienam, sed etiam in illis excellere, & quantum grauiss. alia negocia permittunt, in his cum magna voluptate versari. Accedit insuper amicorum quorundam meorum, qui T. M. ac P. sunt familiariter noti, adhortatio ac persuasio, qui omnino arbitrati sunt, me nõ perperam facturum, si hanc qualemcunque meam opellam T. M. ac P. offerrem. Quare cum T. M. & P. de alijs benemerendi voluntas eximia, ac priuatim in me propensio singularis satis mihi sit perspecta, in magnam spem venio T. M. ac P. hoc mu-

nusculum meum litterarium benigne accepturam, ac potius ad animum offerentis quàm ipsam rem oblatam esse respecturam. Quod vt T. M. ac P. facere, atque qua solet humanitate suscipere, meque in numerum suorum addictorum collocare, ac fauore suo complecti dignetur, etiam atque etiam peto. Bene ac feliciter valeat T. M. ac P. Norimb. Calend. Maij, Anno Salutiferi partus M. D. XCIII.

T. Mae. ac Pae.
obseruantiss.

Joachimus Camerarius
inclytæ Reip. Norimb. Medicus.

ACHILLIS BOCCHII BONONIENSIS CARMEN SVIS SYMBOLICIS QVÆSTIONIBVS PRÆFIXVM.

QVID symbolum sit, ne amplius
Roges, breuissime, vt potest,
Conabimur nunc edere.
Est namque signum Σύμβολον
Vt signa militaria.
Collatio etiam dicitur,
Quod multi in vnum conferunt.
Hinc symbolum Terentius
Poëta dixit nobilis.
Orator ARPINAS notam,
Sed annulum Graij vocant
Plerunque signatorium.
Porro omen, atque insignia.
Isto quoque ipso nomine
Quædam notantur tesseræ,
Quæ à ciuitatibus dari
Solent quibusdam, publice
Vt quemque par sit accipi,
In fœderatis oppidis
Amice & hospitaliter.
Sic possumus jam tesseras
Vocare Collybisticas,
Quasi institutas omnibus
Mittandum ad externam locis
Pecuniam, quæ litteræ
Vulgo feruntur Cambij.
Pollux numisma paruulum,
Stagyræus ille maximus
Vocabulorum originem,
Quam originationem ait
Fabius. Fuere symbola

Priscorum

Priſcorum in arcanis diu
Myſterijs, vt gratia
Verbi, papauer fertilem
Signabat annum. Hujusmodi
Sunt Pythagorica ſymbola,
Ἀλληγορίαι, Αἰνίγματα,
Vt Alciati Emblemata,
Dicuntur & Συνθήματα
Myſteriorum plena, quæ
Documenta commodiſsima
Illa omnium, & pulcherrima
Vitæ, atque morum continent,
Sanis retecta, cæterum
Incognita imprudentibus.
Nolim putes cariſsime
Lector, figurate iſta, quæ
Diuinitus ſunt tradita,
Sic prodita eſſe de nihilo,
Et ſenſum in illum, quem indicant
Exaudiendo protinus,
Sed inuolucra eſſe abdita
Scientiæ aut erraticæ,
Nec peruagatæ, ſcilicet
Ne ſacra polluant mali,
Et ſancta, quippe perditi.
Patere quæ debent bonis
Ac puritatem candidam
Tantummodo colentibus,
Qui ſummouere prorſus, &
Arcere procul à mentibus
Vulgi ſciunt, queunt, volunt
Senſus profanos quoslibet.

IN
SYMBOLA ET
EMBLEMATA IOACHIMI CAMERARII INCLYTÆ REIPUB. NORIMBERGENSIS MEDICI patris charissimi
ELEGIA.

DUM tua cygneis albescunt tempora plumis,
Care pater, studijs anchora fida meis.
Dum vegetas minuit vires matura senectus,
Atq; æui viridis decidit ille color.
Scilicet est posito licitum tibi fine laborum
Quæ superest, vitæ molliter ire viam.
Ac veluti miles veteranus postibus arma
Figit, & ante focos ocia lætus agit.
Sic te perpetuo Phœbeia castra secutum,
Donari merita jam rude, tempus adest.
At lætor, memori quod tecum corde reuoluis
Otia quam recte parta locare queas.
Huc te nempe trahunt magnorum exempla virorum,
Quos infert celso candida fama polo.
Insuper ille tui præclari nobilis ardor
Ingenij, atque alti vis generosa animi,
Haud patitur te ridiculis terere otia nugis,
Quas viles animæ, quas rude vulgus amat.
Sed tibi duntaxat sunt publica commoda cordi,
Dum tibi, dum cunctis vtilis esse studes.
Ingenij hoc monumenta tui testantur, & omni
Annorum serie fama loquetur anus.

Et licet

Et licet hinc tibi sit jam partum laudis abunde,
Et vetet hæc vnquam docta Camœna mori.
Te tamen & studium indefessum, animosaq; virtus
Vult iterum veteri currere curriculo.
Ergo nouos edis doctrinæ SYMBOLA *fetus,*
Artificum vigili signa polita manu.
Illa eadem sancte coluit veneranda vetustas,
Illa hieroglyphicis abdita scripta notis.
Ipse adeo humani generis Seruator & Auctor,
Hoc studium exemplo comprobat ipse suo:
Dum varias nobis plantas, dum lilia campi,
Dum vites, messes, gramina monstrat agri.
Omnia quæ tecum sapienti pectore versans,
Ingenio hæc promis symbola docta tuo.
Hinc haurire licet Sophiæ libamina priscæ,
Hinc velut irriguo fonte leuare sitim.
Siue Machaonias animo juuat ire per artes,
Et Phœbi colles quærere & Aonidum,
Siue per historiæ spatiari florida tempe
Et mentem varijs exhilarare modis.
Siue cupis recte viuendi discere normam,
His etiam lectis doctior esse potes.
Quæ laus ergo tuis tantus pater optime scriptis,
Quæ dabitur studio gratia digna tuo?
Scilicet innumeris viuet tua gloria sæclis,
Sidera stelligero dum vehet axe polus.
Cuncti etiam qui forte tua hæc monumenta videbunt,
Optabunt canis mollia fata tuis.
Vtq; DEVS *vires animo quoque corporis addat,*
Adjungent votis vota precesq; meis.

Ludouicus Camerarius *fil. scrib.*

SYNTA-

SYNTAGMA DE SYMBOLIS STEMMATVM ET SCHEMATVM RATIONE, QVÆ INSIGNIA SEV ARMA GENTILITIA vulgò nominantur: Deq; Emblematis, Autore Claudio Minoë.

DE SYMBOLIS & rerum notis nonnulla plerique scripserunt: eorum tamen nemo est adhuc, quod sciam, qui eam rationem & argumentum sit accurata disputatione persecutus. Id ut præstare quodammodò possim, quòd videam eas partes hoc loco mihi demandatas, de inventione Symbolorum, eorumque usu & fine quædam, si non accuratè, at certè breviter dicenda mihi videntur, ne subinde cogar anxiè repetere quæ semel dixisse satis est.

QVAE FVERIT INVENTIO PRIMA SYMBOLORVM.

COMPERTVM quidem nobis est vel sola conjectura, primos illos homines, sed potissimùm Ægyptios & Chal-

Chaldæos, qui in Schola Memphitica philosophati sunt, imò ante expressam notarum aut characterum inventionem & scripturę usum, reperisse symbola quædam rudia, ut animalium, vel siderum, vel rerum aliarum, quæ ἱερογλυφικὰ id est, sculpturas sacras appellarunt. quod primum ab his factum esse constat, ne ab imperita multitudine mysteria & arcana sapientiæ, quam colebant puris animis ac manibus, facilè profanarentur, sed ab ijs duntaxat intelligerentur, qui sacris ijsdem initiati essent. Quarum rerum initia prima fuisse admodum rudia & simplicia nemo ambigit, qualia solent esse rerum penè omnium principia, quæ à rebus minimis orta tandem progressum ampliorem, & certè majorem consequuntur. Quod nobis planum esse poterit, si eam inventionem, quam Ægyptijs & Chaldæis acceptam tribuimus, conferamus cum ornatu, & expolitione accurata, quã huic præclaræ inventioni Græci adjecerunt, tanta profectò cum venustate & apparatu, ut posteriores Græcorum cogitationes prioribus his & ferme incultis Ægyptiorũ signis præferre non dubitemus. Eo enim factum esse crediderim, quod etiam invento scripturæ usu, à curiosis quibusque ingenijs, sed maxime philologis, Imperatoribus, ducibus, & alijs etiam, quibus politior quædam literarum cognitio, rerumq́ue meliorum elegans & culta natura placuit, auctus sit, & asservatus non sine literarum politiorum ornatu is ἱερογλυφικῶν usus. Ad quam philologiæ partem quodam modo hoc syntagmate declarandam (non enim mei pudoris est magnũ quippiam de me polliceri. quicquid sit, velim studiosi æqui consulant: nam alijs fortasse trado lampada, qui perficient quòd hîc à me inchoatum potius quam perfectũ) fingamus primum nobis aliquem ordinem familiarem, ut eruditos homines, & maximè rerum antiquarum studiosos hac qualicunq; sed tamen familiari cõmentatione juvemus.

QVID

QVID SYMBOLVM, ET QVOTVPLEX SIT HVIVS VOCIS ACCEPTIO.

SYMBOLVM ita Græci definiunt: σύμβολόν ἐστιν ἐξ οὗ ἐστὶν ἡμᾶς συμβάλλειν καὶ γνῶναι; est id quo aliquid conjectamus & cognoscimus. Vocabuli hujus multæ significationes occurrunt: ex quibus hæ sunt inprimis. Symbolum accipi vulgare est pro signo quod epistolæ, vel vasi, aut dolio, aut cęteris ejusdem generis imprimitur, ne resignentur à quibus minimè oporteat: idque nos vulgari lingua Marquam nominamus. Deinde pro bellico signo, quam Tesseram vocant, Gallis *Mot du guet*. Tertiò idem sonat ac collatio vel pecunia, qua plures in unum conferunt ad epulas & convivia celebranda: quo sensu plerique viri eruditi etiam Symbolum & Symbolam usurpant neutro & fœminino generibus, & quibusdam rationibus confirmant, Symbolam dedi, apud Terentium, non symbolum dedi, esse legendum. Quarto Symbolum nuptiarum annulum significat. Quinto conjecturā seu indicium, quo prænoscimus aliquid, vel conjicimus, vel observatione dignum putamus. quo sensu ad res varias transferri testantur auctorum monumenta. Sextò, pro Principis nomisinate sumitur. Septimo, pro argumento, seu etymo, seu denique vaticinio aut nota quadam qua quidpiam occultatur, sed tamen doctis auribus intelligendum proponitur. quo sensu postremo nos Symbolum ad Emblematis naturam accommodamus, & velutā ad finem nostri hujus Syntagmatis explanare conamur.

DE SYMBOLIS ÆGYPTIACIS.

OBSERVAMUS itaque à sapientibus Ægyptiis symbola primùm fuisse usurpata illa, quæ ἱερογλυφικὰ nuncupabant, quibus suam raram illam quidem & reconditam sapientiam solis iis agnitam esse volebant, qui ea se dignos præstarent. Ab ea enim consultò, & prudenter hisce ingeniosis & eruditis symbolis, uti jam admonui, profanum vulgus arcebant: eoque modo arcana illa doctrinæ revera primæ & arduę, castis benèque rotundis auribus & præparatis animis excipi volebant. Insignis est apud Clementem Alexandrinum locus 5. Strom. quo loco ait, Ægyptios & Hebræos symbolis usos fuisse reconditis, ut sapientiæ divinæ eos participes efficerent, qui rebus sacris initiati essent. Addit etiam nefas existimatum Platoni, eum qui minimè purus esset, ad purum quidpiam attrectandum accedere: quam ob causam sacra vaticinia ænigmatis reddita olim fuisse constat, nec vera mysteria ostendi iis solita, qui temerè & impudenter accederent, sed qui primùm purgati essent, seseque diligenter præpararent. Observat idem eos, qui ab Ægyptiis docerentur, primùm quidem arripuisse viam & rationem, quæ vocabatur ἐπιστολογραφικὴ, id est ad epistolas scribendas cōparata methodus: alteram, qua sacerdotes utebantur, id est ἱερογραμματεῖς: tertiam & postremam ἱερογλυφικὴν nominabant, id est sacram quandam sculpturam vel cælaturam: exquibus maximè celebris fuit ea quæ συμβολικὴ dicebatur. Longior essem, si exempla Clementis usurparem, quæ eadem penè sunt apud Orum Niliacum. Sed unum id duntaxat. Omnes quotquot vetustis temporibus de rebus divinis aliquid scriptis mandarunt, tam barbari, quàm Græci, rerum principia occulta esse voluerunt, & ipsum verum (τ' ἀληθὲς) ænigmatis, signis, symbolis,

bolis, & allegoricis quibusdam figuris tradiderunt. Eadem fuere celebrata illa Græcorum oracula: quæ causa est cur Apollo Pythius cognomen Λοξίας habuerit, eo quòd obscurè ac obliquè responderet. Cum Clemente illo polyhistore unà conjungam Plutarchum, qui disputatione περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος idem omninò docet. interq́; alia ostendit hoc veterum Ægyptiorum institutum fuisse, ut ab iis legerentur reges vel ex ordine sacerdotum, aut eorum qui militiæ nomen darent: eò quod illi ob fortitudinem, hi verò sapientiam magni aut celebres haberentur. Si quis è bellicosis rex creàretur, statim se sacerdotibus erudiendum dabat, idemq́ue sapientiæ particeps efficiebatur, ejus inquam sapientiæ quæ fabulis pleraque occultabat, & obscuro quodam verborum involucro veritatem complectebatur. Hæc ejus verba: εὐθὺς ἐγίνετο τῶν ἱερέων, καὶ μετεῖχε τῆς φιλοσοφίας ἐπικεκρυμμένης τὰ πολλὰ μύθοις καὶ λόγοις, ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἐχούσης. Quod certè ipsi notant, cum Sphinges ad templorum limina locant: innuunt enim eam, quam de rebus sacris doctrinam profitentur, ea sapientia constare, quæ obscura sit, & in volucris quibusdam lateat.

DE PYTHAGORAE SYMBOLIS.

CERTE antiqua illa Pythagoræ symbola hujus Philosophiæ usum non minimum præbuere, quæ cum à Tyrrheniis (apud quos fuit educatus, teste Plutarcho) aut ab Ægyptiis, ut relatum est ab Iamblicho nobili Philosopho, accepisset, ita excoluit, ut magnam suæ doctrinæ partem hisce mysteriis occlusam esse voluerit. Tradit enim idem Iam-

blichus, eos olim designasse per navis gubernatorem, supremum Deum, primum motorem, & primam illam causam rerum omnium, ut ostenderent omnia Dei providentia curaque administrari: ut per mundi lutum, materiam aptam ad generandum, ipsumq; corpus intelligi volebant. Atqui & interdum non alio symbolo Deum designabant, quàm oculo depicto, cui & baculum seu sceptrum substituebant: quandoquidem Deus unus est, qui omnia videat, & penes quem sit præcellens & regia dignitas. Nonnulli tamen stantem baculum ad aliud referunt, nempe ad naturam divinam ἄφθαρτον καὶ ἀκίνητον, id est mutationi minime obnoxiam, & quæ nunquam labefactari aut imminui ullo unquam pacto poss t. Hanc Ægyptiorum philosophiam Chæremon complexus est, ut & Orus Apollo Niliacus; auxit Pythagoras; illustrarunt excellentes quidam philosophi & scriptores nobiles, Athenæus, Clemens & Cyrillus Alexandrini, Pausanias, Porphyrius, Plinius, Apuleius, Plutarchus: quamque nostra ætate penè intermortuam magno labore ac industria, imò verò admirabili peneq; divino ingenio excitavit, suisq; perfecit numeris Pierius Valerianus, magnis illis Hieroglyphicôn Commentariis. Cujus primæ sapientiæ usum, ne id dissimulare videar, retinuerunt multo ante Pythagoram Moses, Salomon, aliiq; Hebræorum sapientes. Sunt & qui de Chaldæorum symbolis ex Pselli commentariis, quibus magica oracula seu Chaldaica Zoroastres exequitur, nonnu la posteris reliquerunt. Sic enim ex figura plantarum, florum, animalium, stellarum, rerumq; aliarum pleraq; involvebant, ut minimè putem commodius sapientiæ veterum quasdam reliquias ad nostra usque tempora transmitti potuisse. Id verò si quis velit ostensum esse aliqua exemplorum farragine, statim colliget, pro fertilitatis symbolo Papaver usurpatum; Cupressum pro morte; Olivam signum

pacis,

pacis, Laurum & Hederam ingenii semper virentis, Malum cotoneum connubii notam iisdem habitam fuisse, ut Satyrum vel Capram libidinis; Leonem terroris, iracundiæ, dominatus; Solem anni, Lunam mensis, & cætera alia longè multa, quæ immenso labore parique doctrina idem Pierius executus est.

VNDE PROFECTVS
STEMMATVM VSVS.

EX quo factum esse constat, ut sapientes quique posteri inventioni huic tam ingeniosæ multum ornamenti adjecerint suis tum libris, tum disputationibus: sic etiam permulti nobiles & generosi, viriq; principes, qui bellicis olim negotiis præfecti sunt, ut etiam hodie, qui eundem dignitatis gradum obtinent, quo sui nominis atq; familiæ splendorem quàm latissimè propagarent, stĕmata quædam & symbola sibi usurparunt. Et certè omnibus penè gentibus in more positum fuit, ut speciale aliquod signum militare haberent, quo facilius cogi possent, & in unum convocari locum milites, qui vel sparsi vel fusi extra castra essent. Occurrit mihi quod Diodorus Siculus 1 Βιβλιοθ. retulit, quo loco initium eiusmodi schematum videtur repetere à temporibus Osiridis, his planè verbis: Τῷ δ᾽ οὖν Ὀσίριδι συνεστρατεῦσθαι δύο λέγουσιν υἱούς, Ἄνουβίν τε καὶ Μακεδόνα, διαφέροντας ἀνδρείᾳ. ἀμφοτέρους δὲ χρήσασθαι τοῖς ἐπισημοτάτοις ὅπλοις ἀπό τινων ζώων οὐκ ἀνοικείων τῇ περὶ αὐτοὺς εὐτολμίᾳ. Pindarus enim testis est Amphiaraum in expeditione Thebana pictum draconem in clypeo circumtulisse: Statius Capaneū hydræ; Polynicem Sphingis imagine, usos in scutis fuisse. In bello Trojano Agamemnō pictum habebat in scuto Leonem unà cum epigrammate: οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν: Vlysses

delphi-

delphinem: Typhonem Hippomedon ore fumos efflantem: Perſeus Meduſæ vel Gorgonis caput. Neque enim dubium poteſt eſſe, quin & cæteri Nobiles ſuæ inſignia familiæ, ſeu ſymbola quædam propria ſibi vendicarint. Homerus alter 8. Æneid. id minimè ſibi prætermittendū putavit, cum Turni auxiliares copias memorat, quorum hominum arma ſignaque diligenter & ſtudioſè perſecutus eſt. Cimbrorum & Teutonum bello illo horribili, quod in Mario Plutarchus deſcribit, id memoria dignum notat, eos populos, quanquam immanitate barbaros, ſuis in peltis, aliiſque id genus bellicis inſtrumentis, non modò nitorem armorum habuiſſe, ſed & depictas ferarum imagines. Nōnulli putant Marium primū Aquila pro ſchemate uſum, ut præter cæteros teſtis occurrit Val. Maxim. Primis enim imperii Romani temporibus, in expeditionibus bellicis cum educenda eſſet acies, aut etiam manus conſerendæ, pro ſigno, fœni manipulis utebantur: unde legiones manipulares primo appellatas eſſe conſtat. Sed cum incrementum aliquod cepiſſet imperium, ſigna alia ſibi finxerunt, qualia fuere Lupi, Equi, Capri, Minotauri, pro vario Principum arbitrio, qui militibus præficiebantur. Sed ut ea demum Aquila uſurpari cœpta eſt pro publico & perpetuo imperii Romani ſymbolo, ſic uſus invaluit, ut quæcunque legio diſtinctas inſignium notas haberet. Quod poſteris ita transmiſſum eſt, ut ejus rei memoria, quamquam longa temporum intercapedine, longoque ſpacio, & penè vetuſtatis oblivione demerſa, ſcriptorum beneficio tamen nondum intermori potuerit. Dio tradit in Pompeii magni annulo expreſſa fuiſſe trophæa tria, ut antè idem Sylla dictator fieri ſibi curarat. Plutarchus vero ait in eo ſummi pretii lapillo, qui Pompeii fuit, quique poſt mortem ejus, Cæſarem coegit ad lachrimas,

Leonis conſpicuam fuiſſe imaginem enſem tenentis. Quod genus doctrinæ reconditioris quanquam pleriq; ludicrum eſſe cenſeant, auſim tamen dicere, id ſapientibus olim hominibus familiare habitum pro certo conſtare: quod declarant erudita & literata illa ſympoſia: quo maximè nomine Principib⁹ digna videri debet exercitatio, quos ſi verè Principes agant, literatis colloquiis ſuas epulas condire par eſt: non ut inertes quidam aulici, & (quod dicebat ille) arietes in aureo vellere, qui lapillis & teſſeris, qui cubis & foliorum luſu non modò totos dies terunt, in quibus luditur quidem, ſed interea permultum otii & pecuniarum impenditur, multoque plus temporis inſumitur, quam neceſſe eſſet; cum in ea ſymbolorum doctrina exercenda, & liberis hominibus digna cognitione, non mediocris utilitas capiatur, ingenium intendatur, judicium augeatur, exerceatur memoria, mirifica oblectatio capiatur. Sed hæc miſſa faciamus. Quàm enim ſuperioribus anteactis ſeculis hic ſymbolorum uſus magnis quibusdam viris arriſerit, exemplis innumerabilibus teſtatum habemus. Quin id antiquarii & ſtudioſi longè antè, & hoc noſtro ſeculo diligenter obſervarunt in quibusdam priſcorum temporum numiſmatis æreis & argenteis, tum ſaxis & ædificiis, longa ſeculorum caligine, & quaſi ſenio ferè omnino collapſis, ex quibus illorum veterum hominum ſtudium agnoſcũt in obſervandis familiis, & gentis alicujus ſtemmatis, aut effingendis iis, quæ ipſi ſuo arbitratu conceperant, quæque vel multis, vel certe paucis, & quidem eruditis atque ingenſios propoſita eſſe cupiebãt. Siquidem, ut è multis pauca ſublegam, Alexander Magnus ſerpentis imagine uſus eſt, quòd ſe à Iove Ammone patre ſub forma ſerpentis eſſe natum credi vellet. Auguſtus Cæſar magnam ſui animi moderationem, alienumq; ab omni temeritate judicium, id eſt maturitatem in rebus gerẽdis oſtẽ-

C ſurus

surus, in altera numi aurei parte, quem cudendum ea maximè causa jusserat, Papilionem unà cum fluviatili Cancro cælari voluit: altero quidem tarditatem, altero verò celeritatem intelligebat. Eundem & Sphingis imaginem in sigillo seu sphragidio sumpsisse memorant: quo plerique conjiciunt eum designasse suam in rebus obscuris illustrandis, & conficiendis negotiis alioqui perplexis admirabilem solertiam. quod tamen signum commutavit Republ. primum composita, & imagine Alexandri Magni postea fertur usus, fortasse ut Monarchiam, qua se dignum putabat, intelligeret: quam ubi magna, planéque inaudita felicitate consecutus est, non alia delectatus est imagine quàm sua. Mecœnas eques Augusto familiarissimus, Ranam usurpavit, fortasse Seriphiam, ut quibusdam placet, ad arcani fidem, quã unicè observabat ille, designandam. Titus Vespasianus Augustum æmulatus, proprium sibi ac peculiare schema vel symbolum habuit, quod maturandum esse præcipiebat, Delphinum anchoræ alligatum. Narratur historiis Ecclesiasticis, & D. Hieronymi Commentariis, literam Hebraicã TAV, salutis fuisse olim signum etiam Paganis ipsis habitum, quod parietibus templi Serapidis passim visum fuit. Nullus est ex nostris, quin audierit aut legerit memorabilem illam Constantini Magni expeditionem adversus Maxentium, qua, maximè signis militaribus, signum Dominicæ Crucis tum primum cepit. Et certè crux merito pro salutis nota usurpari cœpta est, quod T literæ, quod fuit olim absolutionis signum, videatur respondere, si picturam & lineas spectes. Quid enim, ut externa illa quæ innumerabilia sunt, transiliam, ut quæ leguntur de Atheniensium Noctua, Persarum Aquila aurea, vel Solis effigie, aut igni sacro, Thebanorum Sphinge, Osiridis cane, Cyri Gallo aureo, & aliis etiam pluribus, de quibus fidem scriptores faciunt; sed nescio

quomo-

quomodo nos magis delectant & afficiunt domestica, ut est Navis illa, quam pro stemmate habuerunt Franci veteres, sicuti Sidonius Apollinaris & Panegyristes ille Pacatus testantur; quod idem signum Parisiorum esse adhuc apertè videmus: ut tria illa Repagula rubea seu vectes, quibus in publico stemmate Burgundiones usi sunt: ut Vrsi, quibus Helvetii: ut Leones, quibus Germani quidam duces: ut Igniariū unà cum silice, quo equites illi torquati, qui à Burgundo duce primum instituti sunt. (lōgum enim esset in singulis immorari, & ad ea omnia explicationes adjicere; quid inquam nunc memorem veterum illorum Gallorum stemmata & insignia, quæ sibi vel ingeniosi finxerunt, aut aliqua nacti sunt occasione, vel tanquam hæreditario jure posteri usurparunt? Quia tamen multus essem, imò verò fortasse nimius in ea rerum veterum cōmemoratione, quas subinde fateri cogimur longa vetustatis oblivione nobis penè deletas & obliteratas: facilius videtur meo quidem judicio, in iis pedem, ut ita loquar, figere, quæ non tam priscorum hominum libri, quàm ipso nostrorum patrum, & quidem hujus ætatis hominum exemplo, planè attinguntur. Itaq; præter publicum & solenne imperii Germanici stemma, quod Carolus quintus superioribꝰ annis pro imperatorio jure habuit, symbolum etiam peculiare sibi vendicavit, duas Herculis columnas, unà cum symboli anima VLTERIVS. Lodoïcus XII. antequàm ad regnum evectus esset, aliqua ratione Histricem, quem Porcum spiceum vulgus appellat; Franciscus I. felicis memoriæ Princeps, tria lilia, quibus alii Reges regio nomine fuerunt usi ad hæc nostra usq; tempora, & Salamandram aliqua causa propriam sibi fecit: Henricus II. ejus filius, crescentem lunam, unà cum hemistichio, DONEC TOTVM IMPLEAT ORBEM: Margaris Navarræ Regina, magni Francisci soror, heroïna verè illustris, Heliotropium

non sine causa sibi legit: Carolus IX. duas columnas in se complicatas unà cum, Pietate et Iustitia, descripto epigrammate: Catharina Medicea, Regum mater, Iridem seu cœlestem arcum, adjecto symboli argumento; φῶς φέρει ἠδὲ γαλήνην: Annas Mommorantius, militum Magister, nudum Ensem, una cum verbo ΑΠΛΑΝΟΣ: Marescallus Santandreus nodum Gordium: Plerique idem tribuunt Regi Catholico, ut Iovius ipse. Cardinalis Borbonius, pastoriciæ dignitatis notam, Ensem seu gladium flammeum habuit, quo verbi divini vim intelligi ajunt: Carolus Lothareuus Cardinalis Hederam altæ pyramidi hærentem, unà cum versiculi parte altera, Testante virebo: Franciscus Turnonius Cardinalis cœleste Manna: Christophorus Maducrius Cardinalis Tridentinus, Phœnicem se in igni comburentem, unà cum sententia, Peritvt vivat: Ferrariensis denique Cardinalis Hesperidum mala ab insomni non custodita dracone, quo virtutes significari constat. Alphonsus Aragonum rex libro aperto, ad libertatem designandam, uti maluit. Franciscus Sforcia cum ducatum Mediolanensem obtineret, Canis sibi symbolum pingi fingique curavit, unà cum epigrammate, Nemo qvietvm impvne lacesset. Duo inter cætera Principum Italorum symbola, eruditis hominibus placuerunt, nempe unum Laurentis illius Medicei, & alterum Prosperi Columnæ: Ille quidem tres plumas habuit colore triplici distinctas, albo viridi, rubeo, unà cum Semper adjecto vocabulo, quod eruditi homines ad virtutem triplicem, Fidem, Spem, Charitatem retulerunt: Hic vero Columna, quo tempore Ravennati Reipub. præfectus, urbem obsessam defendebat, duplicem ramum complicatum pro symbolo circumtulit, alterum è Cupresso, è Palma verò alterum, unà cum sententia adjecta ab eloquenti homine Antonio à Casanova, Erit

alte-

ALTERA MERCES. Illum quidem ramum, mortis; victoriæ hunc esse notam volebat: ut significaret in ea expeditone sibi certißimum esse mori vel vincere. Quibus profecto notis & signis illustribus magni illi heroës, ac Principes excellentiam aliquam suorum animorum non obscurè ostendi voluerunt. De qua quidem philologiæ parte, ne cogar singula percensere, cum quosdam viros excellenti doctrina, & antiquitatis vel maximè studiosos aliquando disputare audiebam, memini ultrò citroque habitos ea de re sermones eruditos, ex quibus tamen ad extremum, ut uno dicam verbo, nihil ferè præter conjectanea mihi comparavi. Nam ut prisca illa & externa prætercam, quidam auctores sunt non omninò mali, à quibus accepimus priorum Galliæ Regum, qui à Pharamundo profecti sunt, insignia fuisse tres Bufones aut Rubetas: nonnulli tres Coronas malunt: alii Leonem qui Aquilam ad caudam habeat. In quo illi boni scriptores temerè interdum & sine judicio caligãt: quippe qui quod Regum quorundam peculiare symbolum fuerit, ad alios etiam tanquam commune omnium referant. Videri autem certius potest, tribus Liliis primum Clodoveum fuisse usum, cum primum suadente Clotilde uxore lectißima, religioni Christianæ nomen dedit: quod liliorum trium stemma posteri etiam Reges ad nostra usque tempora retinuerũt. Polydorus Virgilius in Anglica historia, quo loco vitam Gulielmi Nothi prosequitur, auctor est, Reges Anglos ad eam usque Regis illius ætatem certas insignium notas minime habuisse: sed pro regum varia succeßione, etiam signa illa fuisse varia. In quibus omnibus primò excogitandis, effingendis, exornandis, aliqua ratione pingendis, vel sculpendis, non video quid veri certique statui certò posit: nisi dicamus pro animorum & opinionum varietate miram semper penéq; incredibilem symbolorum ejus-

modi varietatem extitisse. Esset quidem imperiti hominis, parumq; in rerum veterum historia exercitati, qui auderet affirmare nullam subesse sententiam in ea ingeniosa inventione stemmatum, schematum, insignium & symbolorũ: quæ veteres ipsi non tam studiosè affectassent, nisi suæ doctrinæ solertioris, suæ laudis & gloriæ, suarumq; cogitationum aliquam non minimam partem aliis notam esse voluissent.

SYMBOLORUM TRIA GENERA.

CÆTERUM ne hoc quidem prætermissum velim, symbola & Emblemata, de quibus hoc agitur libro, multiplicia esse & varia: quorum tamen rationem multiplicem ad quosdam quasi cancellos revocare possumus. Quædam enim historica sunt, alia physica, alia ethica & certè allegorica, quibus aliquid petitum à fabulis aut rerum naturą, ingeniosè ad mores ut plurimum traducitur. Historica sunt ea quæ ducuntur ex historiis, ut Leænæ statua ærea in acropoli Atheniensi posita, de qua 13. Emblem. apud Alciatum: Triumphus M. Antonii triumviri de M. Tullio interfecto, 29. Emblem: Hunni Scythici descriptio, 37. &c. Physica vero, ut Bachi & Palladis simulachris eadem ara erectis, 23. ut de Ciconiæ ἀντιπελαργία, 30. Quæ tamen ad mores omnia mihi reduci posse facilè videntur, quia ex iis omnibus, quanquam non semper ita perspicuè, moralis sententia eliciatur.

DIFFERRE INTER SE SCHEMATA, IMAGINES, SEU INSIGNIA, SYMBOLA.

QUOD cum fortasse pluribus ostendo, nolo mihi quispiam succenseant, ut qui nullum planè discrimen constituam

ftituam inter schemata illa seu insignia vel arma, quæ vocantur gentilitia, imagines, & peculiaria hominum, vel publica nationum aut civitatum symbola. Scio equidem ut primò de schematis, id facilè vel tacente me intelligi ab iis qui non omninò sunt obtusi. Nullum stemma esse puto, quod symbolo & nota non constet: sed tamen non omnia symbola stemmata esse possunt: Alterum enim nempè symbolum, latius; strictius verò & specialius alterum accipi compertissimum est. Alia verò imaginum ratio, quamquam ad eundē fortassè finem olim Romani sumpsisse videntur imagines, ut posteri, & hodie nobiles sua illa stemmata. Ii certè nobiles erant, qui sui generis imagines poterant ostendere, teste M. Tullio. quæ causa fuit ut sæpè imagines pro nobilitate usurpare familiare sit auctoribus. Eas Romæ patricii in primis sibi tribuerunt, & qui soli majores magistratus, nempè Ædilitatem majorem, Præturam, Censuram, Consulatū obtinebant. Quæ imagines quales fuerint, lib. 6. Polybius me docuit, Plinius 35. ut etiam M. Tullius permultis locis. Erant enim simulachra quædam oris similitudinem artificiosè fictam, coloribus & pigmentis adumbratam referentia, quas insigniore domus parte positas armaria lignea includebant. Eas autem imagines diebus festis exornabant apertis armariis: cumq; aliquis è propinquis aut affinibus mortuus elatus esset, in funere circumferebantur, addito ut magnitudine quàm similimi apparerent, reliquo corporis trunco. Eas demum cereas fuisse me locus admonet Plinianus, quem citavi proximè: ut inde appareat majorum imagines posteris etiam temporibus nominatas, sed non ita tamen usurpatas. Nam insignia Nobilium imagines habent illas quidem, sed non humani vultus, ut fuere olim Romanorū. Pro quibus posteriora secula cæperunt habere sua illa, quæ vulgò arma vocitantur, id est insignia gentilia: quæ ut ad honorē & gloriam veteribus usurpata sunt, sic certè, uti credibile est, fuere postea virtutis præmia, & rerum præclarè gestarum aperta testimonia.

QVÆ

QVAE SPECTENTVR IN SYMBOLIS.

AD extremum itaque quid ad conficienda symbola in primis observandum sit, adiiciam, ut tandem (eorum gratia maximè, qui hanc liberalem & ingeniosam cognitionem colunt) formulam quandam apponam symbolorum conficiendorum, expeditam illam quidem & facilem juxta Iovii doctrinam, qui non modò notas heroicas Principibus multis excogitavit, sed artem quandam apertam, & compendiariam admodum inchoavit potius quam perfecit.

1. Symbolorum id proprium & peculiare est, ut gyris quibusdam & mæandris, nempe obscuris sententiarum involucris obtegantur: Si enim tam aperta & popularis esset inventio, nihil doctrinæ aut gratiæ in iis esse videretur. quod symbolis Ægyptiorum, Chaldæorum, Pythagoreorũ, Græcorũ, et aliorum jam antè quadam ex parte demõstratum est.

2. Deinde, in eo vel maximè sita est symbolorum ratio, ut cum gravitate brevitateque quadam plurimum sententię contineant: quod observandum notat auctor gravis & acutus Demetrius Phalereus.

3. Id præterea observatur ut plurimum, ut symbolum habeat aliquam cum adagio seu parœmia similitudinem. Et quidem sæpenumerò fit, ut symbolorum & adagiorum eadem natura esse appareat, quanquam inter se ratione quadam differant. Quod Plutarchus diligenter observavit in quibusdam: & præter eum Appuleius, qui etiam exemplũ apponit, ut cum olim diceretur, Ex quocunque ligno Mercurium non fieri, significabant eo, quævis ingenia minimè ad doctrinam capessendam idonea; neque cujusq; animum ita esse à natura informatum, ut ingenii cultum tam commodè capere

dè capere posſit. Quæ tamen fortaſſe magis attinent ad ea ſymbola, quæ oratione, vivaque voce uſurpantur, non ea quæ παράσημα & ἄφωνα σύμβολα nominantur. Certe inter utraque magna poteſt intercedere ſimilitudo, ut nuſquā eſſe non poſsit inter res & verba non minima cognatio: aut ſi magis placeat, ut ænigmata, ſic ſymbola ſunt alia in verbis, in ſententiis alia, quædam etiam in utroque, imò interdum litteris atque ſyllabis. Quod pluribus illuſtrarem, ſi putarem id ſtudioſos aliquo tandem modo remorari.

ARS QVAEDAM INVENIENDORVM ET EXCOGITANDORVM SYMBOLORVM.

Et itaque, qui ſymbolum aliquod vel ſchema commodè volet effingere, ſpectanda hæc primùm proponuntur, ut juſta ſit animi & corporis analogia (per animum, ſententiam uno, altero, vel certè paucis comprehenſum verbis intelligo: nomine corporis, ſymbolum ipſum deſignari placet.) Deinde ne ita tenebricoſum ſit, & obſcurum, ut Delio natatore opus habeat. Tertio ut facile conſpici & dijudicari poſsit, ſi fortè aliquid interjectum habeat: ut interdum ſunt ſidera, ſtellæ, luna, ſol, ignis, unda, nubes, ſylvæ, rupes, ſpeluncæ, & alia innumerabilia. Quartò, ne qua humana forma, niſi admodū rarò, depingatur. Poſtremò, adhibeatur interdum anima illa ſymboli lingua quadam nobili minimèque vulgari, ut id παράσημον καὶ ἄγαλμα, ingenioſaque inventio, quæ cogitationem requirat, & eam quidem eruditam, multo plus dignitatis habeat & gravitatis. Id autem fieri ab eruditis, vel iis qui à liberali & polita literarum cognitione averſum animum non habeant, Græcè aut Latinè commodè ſolet: aut denique ſi magis placeat, ex-

tera quadam lingua, idque sententia brevi, arguta, gravi, vel adagio, ut etiam hemistichio, integro versu nonnunquã, qui vel recèns natus, vel aliunde petitus sit, dummodò argutiarum aliquid & salis contineat. De symbolis, schematis, & stemmatum ratione jam satis: nunc tandem de Emblemate quædam commentemur.

DE EMBLEMATE.

Plerique sunt non satis acuti, qui Emblema cum symbolo, cum Ænigmate, cum sententia, cũ Adagio temerè & imperitè confundãt. Fatemur Emblematis quidem vim in symbolo sitam esse: sed differunt, inquam, ut Homo & animal: alterum enim hic maximè generalius accipi, specialius vero alterum norunt omnes qui aliquid judicii habeant. Emblema ænigma non est, quanquam interdum cum ænigmate aliquam similitudinem habeat: Ratio enim quædam est apertior in Emblemate, propter notas quæ apertæ & perspicuæ sunt: Ænigma vero in verbis ambiguum est & obscurum, ut etiam viros alioqui solertes, & ingeniosos interdum longa mora teneat. At symbolorum & Emblematum de quibus maximè hic agimus, ratio debet esse clarior & apertior: ut quemadmodum ab iis imperiti arceantur, sic docti homines aliquid habeant in quo ingenium exerceant. Neque Emblema est γνώμη seu sententia, quanquam sæpè Emblemata sententias in se contineant: nisi fortasse qua ratione Emblema sumitur μετωνυμικῶς pro epigrammate seu explicatione Emblematis. Γνώμη enim verbis exprimitur: & nisi fallor, aliter γνώμη esse minimè potest, nisi pro usurpetur, quod ἐνθύμημα diceremus. Emblema enim sæpenumero est ἄφωνον: nec semper necesse est in Emblemate esse adjectum epigramma. Deniq;, ut uno verbo,

verbo, Sententia, & Emblema videntur mihi differre ut verba & res, seu signa quædam rerum, & res signatæ. Denique non est adagium vel parœmia: Quia Emblema est aliquid ingeniosè ab ingeniosis excogitatum, ut ita dicam: adagium verò sermo sit in ore omnium versans. In quo advertendum an ii acutè viderint, & non potius aberrarint, qui quascunque sententias, adagia, similia, apophthegmata, historias ad Emblemata posse revocari censuerunt, quasi ex re quavis Emblema cudi & confici deberet.

Superest itaq; Emblematis nomẽ explicemus, si prius Alciati verba ex commentario in tit. De ver. & verborum significat. apposuerimus. Verba significant, inquit, res significantur, tametsi & res quandoque significent, ut Hieroglyphica apud Orum & Chæremonem, cujus argumenti & nos carmine libellum composuimus, cui titulus est Emblemata. Hæc ille.

EMBLEMA QVID, VNDE DICATVR, ET QVOMODO ID NOMEN PROPRIE, QVOMODO FIGVRATE ACCIPIATVR.

Dicitur Emblema, quicquid interseritur ornatus causa, non modò parietibus & pavimentis, sed & rebus aliis permultis, ut vasis, pateris, vestibus: cujusmodi sunt claviculi, aut imagines aureæ vel argenteæ, uniones & gemmæ, cæteraque generis ejusdem. Id enim nominis deductum esse constat παρὰ τοῦ ἐμβάλλεσθαι, aut ἐπεμβάλλεσθαι, quod est inserere, interponere, vel injicere. Antiquitus enim lapillis quibusdam quadratis & minutè sectis politisq; in quibus eicones quædam intertexta essent, ædes magnatum & Principum regiæ ut plurimum ornabātur, ut collige-

re est ex Pausania, Plutarcho, Appuleio, Philostrato, & aliis plerisque: cujus etiam rei usum aliquem videmus in quibusdam templis, tum ædibus publicis & privatis, ut nostra hæc ætas antiquitatis æmula pridem esse cœpit. Itaq; μεταφορικῶς hîc Emblemata vocantur carmina, quibus imagines, agalmata, pegmata, & id genus alia scitè adinventa, variè & eruditè explicantur. Sed & oratio variis verborum rerumque pigmentis & lenociniis Rhetoricæ artis elaborata, Emblematis referta dici figuratè potest. Notum enim illud M. Tullii ex Lucilio.

Quàm lepidè lexeis compostæ ut tesserulæ omnes
Arte, pavimento atque Emblemate vermiculato.

Verba sunt Lucilii Poëtæ Comici, apud quem Scævola exagitabat Albutium, qui nimius esset in ornatu & structura verborum: in quo non vitabat affectatum dicendi genus doctis auribus odiosum. Cæterum plerique vel suspicari vel objicere poterunt hîc Emblemata improprie dici, cum ea carmina videantur potius expositiones esse & explicationes Emblematum id est, eorum, symbolorum vel simulachrorũ, quæ ab antiquis petita hîc magna parte repræsentantur & horum ratio traditur. Sed dicimus adjuncta non temerè aliquando subjectorum habere rationem metonymicῶς, & sententiam vel epigramma dici posse, quod Emblema in se complectatur.

SI SE-

I.

SI SERENVS
ILLVXERIT.



Mons omni hoc, nisi Sol foueat, viduatur honore.
Quicquid ages, cassum disperit, absque DEO.

COLLIS ex omni parte varijs arborum selectißimarum generibus plenus, atque multiplici herbarum ac florum diuersitate conspicuus, in hoc amœniss. decore, & pulcherrimo statu diu consistere nequit, & breui omnia decrescũt atq; flaccessunt, nisi superne tempestiueq; radijs solaribus foueatur ac in suo vigore subinde reficiatur. Ad eundem modũ nullæ humanæ cogitationes atque actiones, quantumuis alioquin speciosæ atque laudabiles appareant, nec vlla virtus, doctrina aut scientia per se consistere, aut aliquid boni producere potest, nisi diuinitus à Deo vnico fonte omnis boni gubernentur, illustrentur, ac splendore diuinæ gratiæ ad optatum finem perducantur. Quod vt paßim plurima præclare dicta tam in sacris quam philosophicis libris abunde probant, ita inprimis paucis sed sanctiss. verbis S. Ioãnes, 1. cap. suæ historiæ Euangelicæ de Christo asserit, vbi inquit, ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. 1. Erat lux illa vera quæ illuminat omnem hominem veniente͂ in mundum. idemq; S. Iacobus in sua Epistola ostendit, cum ait, πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθεν ἀπὸ πατρὸς φώτων ἐστὶ. Omne munus bonum, & omne donum perfectum descendit desuper à Patre luminum. Atq; in eandem sententiam D. Nazianzenus in oratione de Athanasio Episcopo hæc scripsit: Quod Sol est sensibus, id intelligentibus est DEVS. ille enim mundum illuminat visibilem, hic inuisibilem, & ille quidem visum corporis illustrat, hic vero naturas intellectu præditas reddit splendidas.

VNDE

II.

VNDE PLVAT.



Intererit multum quis noſtros irriget hortos,
Ac mens noſtra DEI *qua foueatur ope.*

PER Mercurium, ut notum est, mythologicè intelligitur vis ingenij, eloquentiæ ac doctrinæ. Is fingitur irrigare Laurum, arborem Apollini sacram, qua ipsa quoque poëtæ & viri docti ornabantur. Eo significare voluit autor, multum referre, quo magistro & duce qui illos rectè instituant, adolescentes bonarum artium ac literarum studiosi, modò progressus in illis laudabiles facere velint, vtantur. Quapropter hoc symbolū, siue mauis Emblema, usurpare voluit Reuerendus & illustris D. Dominus Alexāder Edoardus Fuggerus Baro in Kirchberg & VVeissenhorn &c. Præpositus Frisingensis, omnium artium bonarum peritus & literatorm Mæcenas singularis, quo tempore in Italia juvenis studiorum caussa versatus est, & Ticini in Insubria nomē suum ascribi curauit nobilissimæ Academiæ cuidam priuatæ, quales multis in locis Italiæ, admodum vtili ac laudabili instituto, (quod vtinam tandem Germani quoque imitari studerent) exertitationes præclarissimæ in crebro vsu haberi solent. Additur etiam Græcum dictum ejusdem sententiæ: ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα, id est, Pluuiam terra desiderat: Quod ex Euripide sumptum est, ut ex Aristotele apparet lib. 7. Eudemoirum, & lib. 8. Ethic. Nicomach. Itemq́ ex Athenæo lib. 13. Dipnosoph.

PRO-

III.

PROSPICIENTE DEO.



Si faueat cælum, benè surculus arbore crescet:
Si faueat numen, tu quoque magnus eris.

ARBORI vndiq; detruncatæ inſeruntur recentiores alij ſurculi bonam de ſe ſpem germinum præclarorum promittentes, modo cœlitus foueantur ac conſeruentur, alioqui leui de cauſſa exareſcunt & pereunt. Quare non ſecundum communem & deprauatam hominum conſuetudinem, omnia ad fauorem fortunæ neſcio cujus, (niſi hanc allegorice quoq; voluntatem Dei intelligere velimus) ſed ad vnius Dei benedictionem, quæ ſola, ſecundum ſacras literas, ditat, merito referre debemus: ea tamen conditione vt nos quoq; ſuo loco ſedulo noſtrum faciamus officiū, neq; turpi ocio aut ignauia nos tradamus. Vnde Menander, Θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὶ πλέοις. Id eſt, Deo volente etiam in vimine nauigares. At multo adhuc præclarius D. Gregorius Nazianzenus.

Θεοῦ θέλοντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
Καὶ μὴ θέλοντος οὐδὲν ἰσχύει κόπος.
Deo benigne dante, nil liuor valet,
Non dante vero, nil labor vanus poteſt.

Hoc ſymbolo vſus eſt in ætate juuenili, cum Germanico dicto, Wann Gott wil, DEO VOLENTE, Iulius Ionius Epiſcopus Noceræ, fratris Pauli Iouij filius. Simile refert Clariſſimus ac plurimæ lectionis eruditæ vir, D. Nicolaus Reuſnerus, in III. Claſſe ſuorum Imperatoriorum ſymbolorum, eoq; vſum ſcribit Sacratiſſ. & inuictiſſ. Cæſarem Rudolphum II. ante ſuſceptum Imperium Romanum: OMNIA EX VOLVNTATE DEI.

VIR-

IIII.

VIRTVS HINC MAIOR.



Iridis Aspalathus vi suauior, it saque virtus
Gratior est superûm quam pia cura fouet.

MVLTAS inesse peculiares vires ac occultas proprietates pluribus stirpibus & plantis, idq; per singularem superiorum ac cœlestium corporum influxum, ac efficacitatem, nemini esse dubium potest, quarum caussas tum alij inuestigare conati sunt, tum inprimis Theophrastus Peripateticus erudite & docte inquirere studuit, quemadmodum ejus accuratiss. libri de caussis plantarum satis abunde testantur. Inter quas quidē Aspalathus inprimis occurrit, qui frutex vt autor est Plinius lib. 25. cap. 13. (quamuis ibidem Aspalathum orientalem & Rhodium forsitan sine caussa, frutices diuersos faciat) plur. bus in locis reperitur, sed non ubique odoratus est. Quam peculiarem vim tradit in se recipere cœlesti arcu (vt ejus verbis vtar) in eum innixo. Sic etiam omnis doctrina, prudentia, ac vniuersa virtutis laudabilia dicta & facta tum demum fiunt illustriora, præstantiora, omnibusq; vt dicitur numeris absolutiora & gratiora, si cœlestis bonitatis ac diuinæ gratiæ suauiss. aura aspiret. Quod etiam Seneca Ethnicus quidem ille scriptor, sed admodum ἠθικὸς, tradit breuiter in hunc modū scribens ad Lucilium suū Epistol. X. Nullam sine DEO mentem esse bonam. De quo plura in primo symbolo dicta sunt, & in alijs quoque posthac aliquid dicetur.

ARDV-

V.

ARDVA VIRTVTEM.



Qui laurum & palmam victricem carpere gaudes,
Montis, si nescis, ardua scande prius.

 Montes

MONTES ubique non solum in sacris litteris, sed etiam passim apud Poëtas veteres sumi pro aliquo loco munito ac stabili, in quo quispiam tuto consistere, & ab aliorum incursionibus opt. se tueri possit, omnibus constat. Unde inventor hujus symboli apud Hieronymū Ruscellum, super montem quendam altum, ad quē nisi per asperā et angustam semitā non pateat accessus, Laurum simul & Palmam statuit, significare hoc modo volens, ad veram doctrinam, solidamq́ prudentiam, & quæ ad hæc sequitur, perennem ac stabilem gloriam, quæ omnia hisce duabus arboribus veteres voluisse exprimere in alijs symbolis à nobis est explicatum, neminem pervenire posse, nisi per multos labores ac sudores. Quod etiam Cebetis philosophi moralis tabula, quæ ut in omnium manibus habetur, ita utinam etiam in animis versaretur, satis superq́ ostendit, ac Pythagoras in sua littera Y, à Virgilio, vel quicunque autor est illius Epigrammatis, versibus celebrata, docte exposuit, nec non Hesiodus in istis præclaris versibus, quos tantopere Cicero ad Leptam cōmendat, & qui alibi sunt indicati, nobis ante oculos quasi proposuit. Est autem integer versus, unde hoc dictum est desumtū, dapu Silium Italicum.

Ardua virtutem profert via, scandite primi.

Cum quo duo versiculi Ovidiani belle conveniunt:

Ardua per præceps gloria vadit iter. *Itemque*
Difficile est fateor, sed tendit ad ardua virtus.

Et Cassius Parmensis in Orpheo:

Non levis ascensus, siquis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit.

TAN-

VI.

TANTO VBE-RIVS.



Tu quoque sic reseces vitijs arentia multis,
Virtutum vt soboles pullulet vberior.

Theophra-

THEOPHRASTVS lib. III. cap. XI. de causis plantarum, & alibi etiam litteris prodidit, Oleam ramis vetustioribus ac inutilioribus amputatis, propter ipsius innatā pinguedinem & succum uberiorem, lætius nouos surculos protrudere, ac hoc pacto arborem multo fœcundiorem & pulchriorem effici. Nobis itaque etiam annitendum est, vt inutilia ac minimè fructuosa id est, vitia vniuersa ex animis nostris studiosè aboleamus atque extirpemus, vt illis ablatis virtutis fructus multo præstantiores ac pleniores prouenire queant. Quod etiam subijcit D. Chrysostomi Homilia VI. præclarum dictum (quamuis eo in loco potius de vite loquatur) vbi ait: An non vides quod agricola vitem putet, ne vim omnem in pampinis & palmitibus proferat? Idem & tu facito, amputa folia, omneque studium huc intende, ut quamplurimum fructus feras. Potest quoque hoc accommodari ad iacturam fortunarum, quæ multis etiam non solum nō damnosa sed insuper lucrosa sæpe numero fuit, secundū versus D.Nazianzeni.

Καὶ ζημιοῦ τι, τοῦτο κέρδος πολλάκις
Ὥσπερ καθαίρειν φυτὸν εἰς εὐκαρπίαν.
Εἰ δ' οὐ καλῶς τι προστιθεὶς οἷς νῦν ἔχεις,
Ὕλῃ φέρεις πῦρ ἢ νόσον τῷ σώματι.
Perferre damni quippiam, lucrum puta,
Vt fructuosam si repurges arborem.
At si quis addat amplius partis male,
Syluæ addat ignem, corpori morbum afferat.

NIL

VII.

NIL MIHI VOBISCVM EST.



Ite leues procul hinc aliorum in prædia blattæ,
Noster adulantes nescit amare decor.

DIOSCORIDES & alij rerum simplicium scriptores, tradunt Cupressum non solum blattas & tineas, ob suam acrimoniam non ferre, sed eas repellere, atque etiam dissectas ligni particulas alijs rebus appositas ejusmodi animalcula inde arcere. Atque ideo apud veteres simulachra potiss. ex hac arbore fiebant, ob materiæ perpetuitatem, cum cariem non sentire dicatur. Vnde simulachrũ Iouis Romæ in arce ex Cupresso ab V. C. sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum, suo adhuc tempore durasse Plinius testatur, annis circiter ducentis. Admonentur hoc symbolo principes & magni viri, vt suam grauitatem & recte administrandi studium in omnibus suis rebus semper obseruent, ac inprimis adulatores, gnathones & ejusmodi farinæ homines, Reipub. pestes, singulari seueritate à se repellãt, nec eorum consuetudine sese oblectent, multo minus aures faciles ipsis præbeant. Sic interrogatus Demosthenes, quodnam animal pessime morderet, respondit, τῶν μὲν ἀγρίων, συκοφάντας, τῶν δὲ ἡμέρων κόλακας. *Ferorum quidem calumniatores, Cicurum autem assentatores. Et Clemens Alexandrinus paucis plurima complectens, inquit,* τὴν κολακείαν τῆς φιλίας εἶναι νόσον. *Adulationem esse morbum amicitiæ. Aut enim laudat vituperanda, aut contra sæpe vituperat omni laude digna. Seneca etiam adulatores suorum dominorum non tam arrisores quam arrosores apposite nominat. De quibus integrum commentariolum doctissimũ composuit Plutarchus,* Πῶς ἄν τις τὸν φίλον τοῦ κόλακος διακρίνῃ. *Quo pacto ab amico assentatorem quispiam possit discernere.*

HAVD

VIII.

HAVD ALITER



Palma velut riguos nunquam pallescit ad amnes,
Sic viret ad Verbi flumina sacra pius.

INTER alias multas singulares proprietates, quas scriptores rerum naturaliũ Palmæ attribuunt, ista nõ postrema est, quod hæc arbor non facile crescat, nisi radijs solaribus opt. foueatur, nec non humore aliquo couenientе irrigetur, vnde ad fluuiorum ripas feliciter prouenit. Cujus præclare meminit primus psalmus Dauidicus, ejusqúe ἀντίθεσις *in centesimo vicesimo octauo obseruatione apud omnes pios dignißima habetur. Nam sicut justus palmæ ad aquas florescenti ac suos fructus tempore suo producenti comparatur, ita contra injustus fœno tectorum radice destituto, terra et aqua carenti, quod paulo post nimio solis ardore comburitur, vt neque hominibus quicquam prosit, nec benedictio Dei super eo expectetur, similis esse dicitur. Hoc elegãtibus carminibus exposuit M. Antonius Flaminius in paraphrasi ejusdem psalmi, quæ hic placuit apponere.*

Qualis perennes orta propter riuulos,
  Arbor feraces ramulos
Ornat quotannis fructuum lætißima
  Pulcherrimorum copia,
Suumque honorem seruat omni tempore,
  Densis amicta frondibus:
Talis piorum est vita, talis omnium
  Colentium leges Dei.
Hi quicquid vnquam molientur, exitus
  Illo fauente prosperos
Habebit, &c.

MITTE

IX.

MITTE NON PROMITTE.



Gratior est fructu ficus quam flore salicta,
Missa ego promissis anteferenda reor.

VERNO tempore ficus arbor speciosis floribus aut fructuum præcocium abundantia minime sese ostentat, nullamqúe inanem hominibus de se spem inijcit: in autumno autem fructus suauiss. ac quidem in illis reconditos quasi flores quosdam, (vnde in Italia adhuc vulgari lingua in quibusdam locis Fiorini appellatur) proferre solet. Salix vero, vt alibi diximus, elegantes & admodum præcoces flores exhibet, sine tamen vllo fructu paulo post euanescentes. Ad eundem modum magnæ leuitatis esse censetur, multis & inanibus promissis aliorum beneuolentiam captare, ac minime laudabile præceptum Ouidianum, quod nullo modo imitandum, velle sequi.

Promittas facile: quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

At grauiter breuiterq́, Horatius inquit:

Multa fidem promissa leuant.


Quapropter in vniuersa vita commendatur promissorum obseruatio, & sine omni fuco ac simulatione in omnes prompta beneficentia. Vnde Cicero quoque 1. lib. de Officijs præclare scribit, Fundamentum iustitiæ esse fidem, id est, dictorum conuentorumqúe constantiam ac veritatem. De hoc Petri Castalij pegma tale legitur.

Si lubet insignem quam mittimus, accipe ficum,
Forsan & hæc vitæ corriget acta tuæ.
Vere nouo nullo florum vestitur honore,
Et tamen autumno dulcia poma gerit.
Quid tua me dubium toties promissa morantur?
Quod spondes primum, si sapis, illud age.
Talia vel miseros possent promissa beare,
Ni structos tandem proderet arca dolos.

NE-

X.

NEGLECTA IVVENTVS.



Perdere virtutum fructus cum flore juuentæ,
Frugisperda salix ne vocitere, caue.

Homerus

HOMERVS Odyſſ. K. Salicem arborem nominat ὠλεσίκαρπον, id eſt, frugiſperdam, idemq́ de ea Theophraſtus quoque Pliniusq́ue tradunt. Nam ſemen celeriter amittit, & quidem ante maturitatem, quamuis in Creta id producere nonnulli aſſerant. Quemadmodum itaq́ Salici humor ille inter calamos arundinaceos collectus præbet nutrimentum commodum, facitq́ vt egregie creſcat ac luxuriet, attamen inde nihil fructus aut ſeminis ſaltem percipi poteſt: non aliter ſæpenumero etiam parentes & amici in ſuos liberos, & alios adoleſcentes ſibi commiſſos multum ſumtuum faciunt, ac ſæpe impenſas plus quam neceſſarias, qui tamen hoc parum bene collocãt ſuo officio male fungentes, nec commoda ſua tempeſtiue perpendentes, inutiliter omnia decoquunt, de futuro minime, vt par erat, ſolicici, atque ita vnà cum ætatis flore ac precioſiſſ. temporis jactura ſemina virtutis perdunt, ac ita poſtea nullius vſus neq́ ſibi nec alijs eſſe ſolent, immemores egregij præcepti Tibulliani.

At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
  Vtere, non tardo labitur illa pede.

Quod idem Propertius quoque cecinit.

Vidi jam juuenem, premeret cum ſerior ætas
  Mœrentem ſtultos præterijſſe dies.

Hoc ſymbolum vtinam noſtro ſeculo nimis licentioſo, vel potius plane efferato, juuenes diligentius apud ſe perpenderent, nec aliorum exemplo ſe tam facile ſeduci cum ſuo magno malo paterentur.

CON-

XI.
CONCVSSA VBERIOR.



Major in aduersis virtutis gloria vera est:
Vberior ventis Myrrha agitata fluit.

MYRRHAM arborem proceram ac spinosam in Arabia felici nasci veteres perhibent, de cujus tamen integra descriptione nihil certi adhuc constare hisce temporibus, quibus omnes tamen vbiq; locorum ac gentium anguli diligentiss. inquiruntur, sane mirum est. Hanc scribunt ablaqueationibus ac incisionibus gaudere, ac præterea ventis vehementer spirantibus, gummi istud tam preciosum, (quod tamen raro plane legitimum & omnibus notis à veteribus descriptis absolutum ad nos deferri solet) effluere copiosius, quo inprimis à putredine ac corruptione corpora defunctorum integra conseruari scimus. Ita animus rectus & constans in proposito laudabili semper immotus permanens, inuidiæ ac obtrectationum furijs, tanquam turbulentiss. ventis, minime terretur, sed potius ad hunc modum exercitus & agitatus eo alacrius fructus virtutis profert, & magis conspicuum sese omnibus exhibet. Quod versus quoq; Horatiani docent.

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur Orbis,
Impauidum ferient ruinæ,

Itemq; Claudiani egregia sententia probat.

Explorant aduersa viros, perque aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita cliuo.

RARA

XII.

RARA IVVANT.



Robore ab annoso viscum sanare caducos
Quod valet, est Christi viua figura Dei.

*Q*VANQVAM *viscum in pluribus arborum truncis vetustioribus enatum reperiatur, tamen in quercu præstantißimum inueniri certum est, quod præ alijs ad morborum ac inprimis Epilepsiæ remedia expetitur: quem alij morbum sacrum & herculeum vocant, non quod Hercules eo laborarit, (vt monet Becanus in Gallicis) sed quod à solo Hercule queat curari. Quemadmodum vero per hunc morbum grauißimus humani generis lapsus significatur, ita per viscum quercinū singulare hujus antidotum (eodem autore) verus noster Hercules & liberator vnicus* CHRISTVS *denotabitur. Symboli vero occasionem dederunt, vt ego suspicor, Plinij verba de visco, libro 16. cap. 44. Non est omittenda ea in re & Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita suos appellant Magos) visco & arbore in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos, nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione græca possint Druidæ videri. Enimuero quicquid enascatur illis, è Cœlo missum putant, signumq́ue esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inuentu, & repertum magna religione petitur &c. omniaq; sanantem appellant sua lingua viscum. Hæc Plinius. Vnde etiam Æneæ ramum aureum visco comparat Virgilius. Apud Platonem simile prouerbium legitur in Euthydemo,* τὸ σπάνιορ τίμιορ. *Rarum honore dignum est.*

COPIA

XIII.

COPIA ME PERDIT.



Rumpitur innumeris arbos vberrima pomis,
Et subito nimiæ præcipitantur opes.

DVAS elegantissimas similitudines legimus apud Senecam, quæ hoc symbolum rectiss. explicant. Prima est in Epistola V. ad Lucilium: Magni animi est magna contemnere ac mediocria malle quam nimia. Vt hæc eo quod superfluunt, nocent, sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Alter locus est lib. I. de vitæ tranquillitate: Vt fertilibus agris, inquit, non est imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas, ita animorum impetus assiduus labor quoq. frangit, ita quoque præclaris ingenijs ac alioquin bene natis nihil est nocentius, neque perniciosius, quam immodica commoditatum ac voluptatum affluentia. De quo Claudianus quoq. lib. I. ad Ruffinum.

Et luxus populator opum, cui semper adhærens,
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Ac noti sunt versus Ouidiani:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Paradinus addit: MICHI PONDERA LVXVS.

Et alibi TIMENDA NIMIA FEOCVNDITAS. *Est autem hoc hemistichium, Copia me perdit, desumtum ex carmine falsò Virgilio ascripto, Priapeja appellato. Perhibent autem nonnulli hoc symbolum fuisse Leopoldi Archiducis Austriaci.*

NEC

XIIII.

NEC INCIDI, NEC EVELLI.



Dure facesse Ligo, validæ procul este bipennes,
Frondeat æternos pacis alumna dies.

Olea

OLea arbor Palladi dicata, pacisque symbolum, semper viret, nec sua folia amittit, idque (vt scriptores plantarum tradunt) ob peculiarem quandam sibique innatam pinguedinem. fructus quoque producit ad multos hominum vsus admodum commodos & necessarios, quare ob vtilitatem singularem neque incidi nec euelli vllo modo par est. Non aliter cauendū summopere omnibus, qui pacis ac concordiæ, publicæq. vtilitatis studiosi esse volunt, (vt vniuersi esse debemus) ne vlla inuidia aut maleuolentia improborum ac male feriatorum hominum à tam necessario ac laudabili proposito, se impediri aut auocari vlla ratione patiantur. Sunt autem, secundum Petrarcham, quatuor hostes pacis, quæ in exilium pellantur, (quod certè si cuncti facere studerent, pax & concordia esset perpetua ac sempiterna speranda) nimirum, auaritia, inuidia, ira ac superbia. Sed nemo ferme pacis encomium breuius ac sanctius D. Augustino nobis proposuit, vbi ait: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accepit teneat, qui amisit exquirat, qui perdidit repetat. Aurea profectò sententia, et omnium bonorum animis infigenda & vita ac moribus exprimenda.

CVN-

XV.

CVNCTANDO PROFICIT.



Festinare nocet, nocet & cunctatio sæpe,
Tempore quæque suo qui facit, ille sapit.

MORVS, græce μωρὸς, id est stultus, per ἀντίφρασιν ita dicitur, vt plærique volunt, cum habeatur arborũ sapientissima. Nam hæc sola nihil properat, sed cæteris præcurrere permissis, ipsa etiam tandem prodit, & gratose virore vestit, fructibusq; tempestiuis prædita est. Longissimam quoque vitam consequitur hac sua Fabiana cunctatione, & materiam præstat ad multos annos duraturam. De qua eadem Plinius quoque scribit lib. 16. cap. 25. Nouissima vrbanarum germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum, sed cum cœpit in tantum vniuersa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat etiam cum strepitu. Hæc Plinius. Sic vir prudens & in suis rebus circumspectus consulto ac mature vniuersas actiones suas, ac sine omni præcipitantia, instituit, nec ante tempus sese effert. nam secundum græcum senarium προπέτεια πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν. Multis malorum caussa est præcipitantia. Sed in omnes occasiones rei bene gerendæ citra periculum, instar Fabij Maximi peritiss. Ducis, qui cunctando Romanis restituit rem, est intentus. Quò pertinet etiam consiliũ. Scribæ Ephesini Actorum 19 quod ciuibus suis dat: δέον ἐστὶν ὑμᾶς κατεσταλμένους ὑπάρχειν, καὶ μηδὲν προπετὲς πράττειν. Oportet vos esse sedatos & nihil præcipitanter agere. Idem etiam sine ostentatione progreditur nec præter modum se effert, quodq; mature præstandum est, suo tempore, neque nimio impetu, nec socordia vtens diligenter & præmeditate exequitur. Vnde alij huic symbolo dictum addunt, TEMPORE SVO: ad alterum prouerbiũ, quod monet τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, id est, præsentia recte administrare: vel, Nosce tempus, respicientes.

NE

XVI.

NE RVMPERER.



Consilio moderato animos frænato furentes,
Vt rigidas quercus vimina lenta solent.

G RANDIS & annoſa quercus ob ramorũ pondus grauius in duas partes diuulſa, à lenta ac humili ſalice rurſum ita conſtringitur, ac vincitur, vt non amplius disrumpi facilè queat. Non aliter nimia aſperitas & ſuperba ſeueritas in hominibus elatis ac duris, ne grauius exorbitent, vel etiam ſeſe in manifeſta pericula ob nimium rigorem ſuum & animi vehementiam præcipitent, nullo alio aptiore vinculo contineri atque ad quandam animi comitatem ac æquabilitatem flecti ac reduci poſſunt, quàm humilitate, & moderatione, cum nullum violentum ſit diuturnum. Et ſecundum Horatium,

Vis conſilij expers mole ruit ſua.
Vim temperatam dij quoque prouehunt
In majus, ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes.

In quam ſententiam Claudianus quoq; inquit:

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira,
Seruitij patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia jure tenebis
Cum poteris Rex eſſe tui.

Hucqúe pertinet breuis quoq; ſententia ſed multa compræhendẽs Philonis, τὰ μὴ σὺν λόγῳ, παντὰ αἰσχρά, ὥσπερ τὰ σὺν λόγῳ, κόσμια. *Quæ absque ratione fiunt, omnia ſunt turpia, quæ vero cum ratione, omnia decora.*

SEM-

XVII.
SEMPER IMMOTA.



Ventorum aduersis solidatur flatibus arbor:
A cruce & à precibus mens pia robur habet.

SENECA *in libr. de prouidentia: Id, inquit, in quoq; solidissimum est quod exercuit. Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam ventus frequens incursat. Ipsa enim vexatione constringitur & radices certius figit. Fragiles sunt, quæ in aprica valle creuerunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, vt esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, & æquo animo ferre quæ non sunt mala, nisi male sustinenti. Hæc ille. In hanc vero sententiam adhuc multo neruosius D. Chrysostomus, Homilia 73. in Genesin, breuiter hæc commentus est: Vt arbores, quæ radices altius miserint, quamuis summum ventorum excipiant impetum, non frangi aut euelli possũt: sic orationes, quas animus pius* DEO *suo reddiderit, perquam tuto affixæ, efferunt sese in excelsum, nulloque peruertuntur agressu cogitationum. In alijs additur,* INCVRSIONIBVS SOLIDATVR. *Animus enim recte institutus multisq; ærumnis ac aduersitatibus exercitus, eo fortius in malis resistit & radices constantiæ firmiores agit. Quo spectat apud Thucydidem Periclis egregium dictum,* ὡς οἵτινες πρὸς τὰς ξυμφορὰς γνώμῃ μὲν ἥκιστα λυποῦνται, ἔργῳ δὲ μάλιστα ἀντέχουσιν, οὗτοι καὶ πόλεως καὶ ἰδιωτῶν κράτιστοί εἰσι. *Nam qui in calamitatibus animo quidẽ minime tristantur, re autem & operibus maxime obsistunt, hi optimi sunt, siue priuati homines siue ciuitates fuerint.*

NE-

XVIII.

NE MOVEAS.



Ad tua cur taceam dicteria fœda requiris?
Non anagyrin ego, ſpurce, mouere volo.

Anagyris,

ANAGYRIS, prima à Dioscoride, ac Plinio descripta, plurimum crescit in agro Romano ac Neapolitano, Plauto, (vt quidam existimant) Nautea dicta. fætidus admodum est frutex, potiss. si comprimatur ac digitis atteratur. Vnde ortum prouerbium, ἀνάγυριν κινεῖς, Commoues Anagyrin, cujus meminit quoq; Aristophanes in Lysistrata. Eodem tamen nomine locus etiam quidam in Attica, autore Stephano de vrbibus, vbi hic frutex copiose prouenit, appellabatur. Monet autem hoc symbolũ siue prouerbium, res eas, quas satius est vt quiescere sinamus, temere in nostram perniciem non esse concitãdas, quod potissimum hominibus maledicis ac in aliorũ detrimentum intentis, quorum quæstus est maxime obtrectari melioribus dici poterit. Quemadmodum etiam alterum huic simile prouerbium habetur, τὸ κακὸν εὖ κείμενον οὐ κινητέον, i. Malum probe quiescens, non est mouendum. Et illud: μὴ κινεῖν καμάριναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων. Quod vtinam hisce nostris temporibus quoque diligenter obseruaretur, essetq; procul dubio in rebus tam sacris quàm profanis minus contentionum ac disputationum inutiliũ pertimescendũ, quæ res profecto plus quàm cogitari aut dici potest, Reipub. trãquillitati ac incolumitati obesse solet. Proponamus itaq; nobis semper ante oculos Pindari aureum dictum in Pythiis, oda VIII. φιλόφρον ἡσυχία, id est, Quies & tranquillitas nihil nisi humanitatem & amicitiam cogitat.

VMBRA

XIX.

VMBRA TAN-TVM.



Vmbram, non fructum Platanus dat: Sic quoq; multis
Vana alios specie ludere sæpè placet.

De Pla-

DE Platano, quæ arbor à foliorum latitudine apud Græcos nomen accepisse videtur, Plinius lib. 12. cap. 1. ita scribit: Sed quis non jure miretur, arborem vmbræ gratia tantum, ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est per mare Ionium in Diomedis insulam, ejusdem tumuli gratia, primum inuecta. &c. Virgilius II. Georgic. vocat quoque steriles platanos. & in IIII. ejusdem operis inquit:

Iamq́ ministrantem platanum potantibus vmbram.

Quod in illos dici potest, qui semper magna de se pollicentes, omniaq́ sua ad ostentationem tantum parantes, quò opinionem singularis doctrinæ ac prudentiæ vel falsò apud alios conquirant, vel etiam si quæ possideant bona ingenij, neutiquam cum alijs communicent, nullum vnquam specimen suæ industriæ præclaris monumentis vel actionibus posteritati præbere consueuerunt. Quorum alterũ est vanitatis ridiculæ, alterum inuidiæ detestandæ indicium. Deque priore vitio Menandri vnicus versus multa complexus est, vbi ait:

Κενῆς δὲ δόξης οὐδὲν ἀθλιώτερον.
Miserabilius est gloria vana nihil.

De altero vero Phocylides nos recte monet, hoc dicto,

Μὴ φθονέῃς ἀγαθῶν ἑταίροις, μὴ μῶμον ἀνάψῃς.
Ne inuideas bona socijs, ne incurras in vituperationẽ.

AVRO-

XX.
AVRORA MVSIS AMICA.



Noctis odorata est magis isthæc tempore planta:
Tu quoq; noctem adde his, si qua placere voles.

SVNT *nonnullæ plantæ, quarum flores noctu tantum, vt Hesperidis, aliæ ad aurorã, vt Genistæ Hispanicæ vel Italicæ dictæ arborescentis, gratum odorem spirant, quarum flos deinceps sole superueniẽte, potiss. feruidiore, plane redditur inodorus. Cujus rei caussam Theoph. & alij referunt in humidi ac sicci tenuitatem ac paucitatem, quæ ambo aëre diurno calidiore superueniente facile dissipentur. Admonemur hoc symbolo, labore ac industria in laudabilibus rebus vniuersis vel addiscendis vel gerendis opus esse, non desidia ac procrastinatione. Inprimis vero indicatur, horas matutinas (cum diluculum etiam in sacris litteris accuratum studium & rem maturè procuratam significet) & tempestiuas, ad studia liberalia, ac Musas excolendas esse conuenientissimas. De quo hæc Hendecasyllaba doctiss. Ioannis Sambuci plura erudite admodum subijciunt.*

— Quod tempus studijs seueriores
Certatim tribuunt, feruntque amicum?
Est aurora parans viam diei,
Nondum cum radijs sequens coruscus
Sol, pastos reuehit sucs jugales.
Tum nulli impediunt graues calores,
Vexant frigora nec molestiora.
Ergo qui sitiunt sacros liquores,
Auroram studijs colant amicam.

Notus est omnibus Hesiodi versus:

Ἠῶς γὰρ τ᾽ ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.

Huc pertinet, quod noctem Græci εὐφρόνην appellarunt, teste Plutarcho περὶ πολυπραγμοσύνης, et Clemente Alexãdrino in protreptico. Alibi legitur, TOLLE MORAS. *ex integro versu Lucani,*

Tolle moras semper nocuit differre paratis.


Quod etiam Hesiodus monet hoc versu.

Μηδ᾽ ἀναβάλλεσθαι ἐς τ᾽ αὔριον, ἐς τ᾽ ἔννηφιν.

VI FRAN-

XXI.

VI FRANGITVR,
OBSEQVIO FLECTITVR.



Frangere vi mauis, quàm lentè flectere ramum?
Est tractare homines molliter artis opus.

IN omnibus rebus bene agendis ac rectè administrandis nimia vehementia, & austeritas summopere improbatur, at cõtrà facilitas quoq; modum omnem excedens nõ parum nocet, mediocritas vero sicut alijs in rebus uniuersis, hic quoque locum habet & plurimũ commendatur, æquanimitas scilicet quædam ac beneuolẽtia conueniẽs. nam et ramus paulatim flectendo obsequitur, vi autem attractus rumpitur. Sic Terentius in Adelphis præclaram sententiam nobis proponit:

Et errat longè mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse aut stabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitia adjungitur.

Et Cicero secundo libro de Officijs; Malus, ait, custos diuturnitatis metus, contraq; beneuolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Atque idem autor alibi dicit: Omnibus odio est crudelitas, & amori pietas ac clementia. Sunt autem versus integri apud Ouidium.

Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus:
Frangas, si vires experiare tuas.

Atque id quidem locum habet, apud homines liberales & tractabiles, non autem barbaros istos, Scythas & Moscos nimirũ duriori disciplinæ assuetos, in quos potius congruit Agesilai dictum, teste Plutarcho, quod de Asiæ populis nõnullis solitus est referre, Si libertate fruerẽtur, inquiens malos, sin seruirent, bonos esse.

INGEN-

XXII.

INGENTIA MARMORA FINDIT.



Quamuis dura, tamen caprificus marmora findit.
Contemnas hoſtem, ſi ſapis, ipſe caue.

Paulus

PAVLVS *Iouius in Dialogo suo Italico de symbolis, historiam exponit memorabilem & obseruatione perquam dignam, de quodam Comite Nicolao Campobassio sub Carolo Duce Burgundiæ militante. Cum enim in quadam graui deliberatione de bello gerendo, Dux supra modum alioqui etiam iracundus, libertate loquendi ipsius offensus alapam illi inflixisset, Comes nunquam memoriam postea hujus injuriæ potuit deponere, sed tacitus semper apud se quæsiuit aliquam occasionem sese vlciscendi. Quæ sane optata post longum temporis interuallum tãdem in prælio ad Nouesium commisso ipsi sese obtulit, quo voti sui compos factus est. Nam Renatum Ducem Lotharingiæ clam certiorem reddidit, quo sine mora cum Heluetijs Carolum Ducem eo tempore cum omnibus viribus aggrederetur, nam se velle cum suis militibus ad ipsius tum partes transire, & ociosum prælij exitum spectare. Quod cum illi ex animi sententia successisset, hoc modo caussa extitit vt Dux Carolus ab hoste superatus & denique occisus fuerit. Quo facto idem Comes cum suis omnibus ad Ludouicum vndecimum Regem Galliæ se contulit. Vnde in suo vexillo postea gestauit Caprificum, marmoreum quoddam antiquum monumentum sua vi innata per medium findentem, de quo Martialis lib. 10.* Marmora Messalæ findit Caprificus &c: *non veritus ex hac tam insigni perfidia à nimia cupiditate vindictæ profecta, cum exigua quidem sua laude famam nominis sui conquirere. Quod exemplũ non contemnendum merito principes ac magni viri considerare debent, ne ex nimia ira in suos ministros aliquid præter rationem statuãt, ac in ipsos plus æquo duriores postea omnis injuria redundet.*

ERIT

XXIII.

ERIT ALTERA MERCES.



Vincere pro patria, vel pulcra occumbere morte
Fortis amat: ramus quod monet iste duplex.

RAMORVM hic decussatim se mutuo complectentium, vnus est palmæ, qua arbore, vt notum est, in victorijs suis vsi sunt veteres, quod plures nummi, statuæ & picturæ veteres satis abunde ostendunt, ejusq; rei reddit rationem Plutarchus in 8. Sympostac. quam ante ipsum Aristoteles quoq; approbauit, nimirum arboris istius esse eam proprietatem, vt vrgentibus prementibusq; ponderibus præ alijs non facile cedat. Alter vero ramus est Cupressi, quæ funeribus fuit destinata, secundum Lucanū,

Et non plebeios luctus testata Cupressus.

Vnde Thucydides lib. 2. perhibet arcas ex Cupresso tāquam ligno longo tempore durante, nec cariem aut corruptionem sentiēte, fuisse efformatas eorum, qui pro patria in bello Peloponnesiaco contra Spartanos mortem oppetere nō dubitassent. Quo symbolo rectissime ostenditur virum fortem, & patriæ inprimis amantem nihil aliud sibi proponere in bello justo gerendo, quam aut præclare pugnando vincere, aut laudabiliter succumbendo mortem oppetere. Quapropter hoc symbolo uti voluit admodum apposite & ingeniose, in suis signis siue vexillis militaribus, animosus heros Marcus Antonius Columna, nepos illius celebris ac magni Ducis Prosperi Columnæ, eo tempore, quo Rauennā contra impetum horrendum & max. vim Domini de Fois Polemarchi Gallici fortiter defenderet. De quo studiosi historiarum plura legere poterunt tum apud alios, tum Iouium lib. X. suæ Historiæ.

INVI-

XXIIII.

INVIDIA INTEGRITATIS ASSECLA.



Quantum palmæ hydri possunt ranæq; nocere,
Tandundem inuidiæ virus obesse probis.

ACCEPIMVS *hoc ex doctissimi Adriani Iunij Emblemate IX. in quo refert, Plutarchum in libello, quem de silētibus Pythiæ oraculis conscripsit, perhibere in Oeco, (quod ædificium à Cypsello tyranno consecratum fuit) inter Templi istius anathemata extitisse palmam æneam, ad cujus radices insculptæ visebantur plurimæ ranæ, & natrices, quos hydros nominant. Quo typo existimat idem Iunius (quamuis Plutarchus aliter explicet) indicari eos, qui inuidis linguis & exitiali maledicentiæ veneno armati, probos ac integros vitæ viros non obliqua, vt sæpè fieri solet, sed recta via ac ratione ad honores & dignitates tendentes, euertere & omnibus bonis exuere tentant, attamen frustra. Nam innocentia ac virtute sua freti ac muniti inuidorū morsus & calumniatorum obtrectationes facile spernunt ac retundunt, et tantundem curant, quantum Luna latratum canis, vt est in prouerbio. Palma enim ardua primæq; nobilitatis arbor, frondibus nunquam vidua, homines ad magna tendentes aptissime exprimit, ad cujus radices ranæ plurimæ odiosa sua coaxatione omnibus molestæ, calumniatorum mores optime exprimunt, & hydri nullis serpentibus veneno inferiores (si Plinio credimus) virulentos inuidorum sibilos designant. De quo insuper ejusdem Iunij eruditos versiculos subijcere, breuiter hæc explicantes, visum fuit.*

Palma caput tollit cœlo ardua, cujus ad ima
Rana loquax, stabulantur & hydri.
Oppugnant proceres, quorum via consona recto est,
Degeneres, atque inuida lingua.

PER

XXV.

PER DAMNA, PER CÆDES.



Cladibus augescit virtus animosa: Bipenni
Sic ilex vires tonsa subinde capit.

 Horatius

HORATIVS *lib. IIII. oda IIII. fortitudinem gentis Romanæ, ore etiam ipsius hostis Annibalis celebratam fuisse scribit, vt quæ bellica virtute illustris, post æquatam solo Troiam in Italiam vexerit natos virosq́, nec non deos penates: & postea addit,*

Duris vt ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frontis in Algido,
Per damna per cædes ab ipso
Ducit opes animumq́ue ferro.

Indicare hoc voluit poëta, Romanos per bella, clades ac cædes, contra suos hostes semper aliquid sumsisse virium, & inde ipsorum potentiam latius creuisse auctamq́ esse. Hoc itaque symbolum admodum ingeniose sibi accommodauit Magnanimus iste & illustris heros Marcus Antonius Columna, & ipse genere ac origine Romanus, cujus inuictus animus ex suorum aduersariorum contra ipsum machinationibus susceptis, semper quoq; creuit, atque hoc modo ad majores dignitates subinde peruenit, quod inprimis testatur memorabilis illa victoria naualis Christianorum contra Turcas Anno M. D. LXXI. *Non. Nouembris prope Naupactum singulari Dei Opt. Max. auxilio obtenta, in qua ipsius virtus & opera singularis, tanquam summi Romanarum copiarum præfecti inter primos quoque claruit, qui & superioribus annis pro rege Hispaniæ in Sicilia imperium laudabiliter administrans, in ea dignitate cum publico omnium dolore ibidem diem suum extremum clausit.*

SIC

XXVI.

SIC PERIRE IVVAT.



Mens generosa alijs se totam impendere gestit,
Quid ni? Tali ipsam morte perire iuuat.

Plinius

PLINIVS *lib. 16. cap. 34. scribit Hederam, potiss. candidam, arbores alias necare, omnemq; succum auferendo tanta crassitudine augeri, vt ipsa arbor tandem fiat. Nam pluribus locis intercisam viuere tamen ac durare, ac totidem initia radicum habere quot brachia, quibus incolumis & solida arbores possit strangulare. Vnde etiam Laberij carmen Gnomicum extat.*

Vt hedera serpens arborum vires necat,
Ita vetustas ambitu annorum nocet.

Cujus rei significatio ad varios vsus potest applicari.

In illos enim non male conuenit, qui suis laboribus & vigilijs, etiam cum jactura valetudinis, de plurimis bene mereri cupiunt, & vt alij floreant ac vireant, ipsi etiam quasi consumi & exarescere non dubitant. Alius vero sensus est, quando quispiam magnis ac principibus viris fideliter inseruiens, ipsorumque sola commoda respiciens, illis declarare cupit, se ad suorum dominorum commoda promouenda ac exequenda, nulla pericula, vel mortem deniq; ipsam subterfugere aut abhorrere. Nonnulli quoq; ad suos quosdam amores referunt. Apud Paradinum vero additur, IMPROBITAS SVBIGIT RECTVM. *Nam sicuti ab Hederæ complexu nimis arcto arbor tandem suffocatur ac perit, ita sæpe actio nimis callida ac improba etiam justæ caussæ nocere ac vim afferre solet. Illustris D. Franciscus Hurtadus de Mendozza Comes Montis Acuti, Regis Hispaniarum Legatus ad Maximilianũ II. Imperator: hoc symbolo cum Italico dicto vsus est,* COSI MORIR MI PIACE.

VNDI-

XXVII.

VNDIQVE TVTVS.



Gallus amans lauri vigili solem ore salutat.
Sic à cœlesti mens pia pendet ope.

GALLVS gallinaceus, ales vigilantißima, secundum Lucretium

Auroram clara consuetus voce vocare,

ad Laurum dicitur libenter aduolare, ibiq; consistere, quod ea arbor, (vt veteres tradiderunt) à fulminis vi immunis esse existimetur; solemq; intuens liber & absque solicitudine & insultu aliarum auium cantando sese eo in loco oblectare. Ad eundem modum pij continẽter & vbique diuinæ protectionis se commendantes, & in vnicam Dei æterni prouidentiam & auxilium intenti, vigilanter & alacriter munere ac officio suo fungi, nec rerum aduersarum impetus quantumuis horrendos extimescere debent, secundum Psalmi sententiam,

Qui Dominum metuunt, castris cœlestibus isti
Sunt tuti, & tegit hos Angelus ipse DEI.

Ac profectò videmus, nihil magis stabilire, ac animum in religione ac pietatis obseruantia confirmare, quàm diligentem obseruationem earum rerũ, quæ quotidie accidunt à prouidentia diuina, in quibus tandẽ boni, soli Deo æterno confisi mirabiliter proteguntur, ac improbi contra iuste puniuntur. De quibus innumera exempla & historiæ plurimæ vbique tam in sacris quàm moralibus libris vnicuiq; sese offerunt.

TRIVM.

XXVIII.

TRIVMPHALI E STIPITE SVRGENS.



Hoc monet annoso lauri ortus stipite ramus:
Magnis natus auis non nisi magna patret.

CVM in Hispaniam ad aulã Regis Philippi se conferre statuisset primogenitus filius Alphonsi Marchionis Vastij, hæres nominis & ditionis magni illius ducis militaris Ferdinandi Marchionis Piscariæ: in quo iuuene patris ac patrui ac aliorum suorum majorum signa haud vulgaria gloriæ ac virtutis tum apparebãt: Paulus Iouius ingeniosè illi hoc symbolum excogitauit, laurum nimirum arborem, antiquum familiæ Daualorum insigne, in qua aliquot rami majores videntur abscisi, inter reliquos vero florentes vnus præ alijs eminet aliosq́ superat. Hæc enim arbor dedicata victorijs ac triumphis est, vnde eum admonere voluit, ab eo quoque nihil nisi magnum ac memorabile more majorum suorum jam defunctorum expectari. De Laureto autem isto vnde Triumphales lauros decerpere Romani consueuerunt, hæc apud veteres litteris produntur. Liuiam olim post Augusti statim nuptias, Veientanum prædium suum reuisisse, ibiq́ gallinam illi albam quæ ramulum lauri rostro tenebat, à præteruolante Aquila, quæ eam rapuerat, in gremium demissam. cumq́ nutriri alitem, pangiq́ ramulum placuisset, tantam pullorum sobolem prouenisse, vt Suetonius ad sua vsque tempora villam eam ad Gallinas vocitatam testetur. Ejusmodi quoq́ eo in loco laurẽtum creuit, vt triumphaturi Cæsares inde boni ominis caussa laureas semper decerperent. Hæc autem an vere ita acciderint, vel in gratiam Augusti fuerint paulo splendidius quàm res ipsa se habuerit, excogitata, hoc loco disputare non est necesse.

SOLVM

XXIX.

SOLVM A SOLE.



Quodq; suo locuples est munere, pluribus orbum,
(Tam varium Solis vis facit alma) solum.

ARBOR Medica siue Citria tum florum suauiss. tum fructuũ odoratiss. gratia celebris, quos cõtra venena magnam habere efficacitatem experientia testatur, nõ facile adolescit, nisi calore solis admodũ valido foueatur ac sustentetur. quare in locis frigidioribus ac septentrionalibus non facile prouenit. Vnde docemur vnicuiq; regioni Deum Opt. Max. sua peculiaria dona concessisse, quibus, si saperet, posset forsitan esse contenta. Quare prouerbij loco quoq; dicitur, Si cœlum dissentiat, frustra fieri fundum, ac Catullus rectè ait,

Firmat sol, educat imber.

Item Virgilius in Georg.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ, &c.

Ac alibi in eodem opere,

Non omnis fert omnia tellus.

Quæ doctissimus Costæus in libro suo de vniuersa stirpium Natura II. copiosius explicat hisce verbis. Est igitur aëris proprietas, (quæ potiss. à sole proficiscitur) quam Theophrastus inter caussas generationis plantarum refert, varia quædam cum subjectis rebus & cum terra proportio, ignota illa quidem nobis qualis sit, sed ex euentu frequentissime obseruata. Quod etiam doctissime annotauit Vitruuius lib. 8. suæ Architecturæ, proprietates inquiens singularum terrarum in regionibus ad solis potestatem temperari. Quapropter illi quasi vim inferre Naturæ videntur, qui in loco aliquo boreali ac nimis frigido omnia sine discrimine, quæ in calidissimis locis solent sua sponte tantũ prouenire, arte quadam, quæ tamen sæpe fallit, tam coaceruare quam conseruare in longum tempus se posse arbitrantur.

FRA-

XXX.

FRAGRAT ADV-STVM.



Thura inodora manent, nisi sole vel igne calescant,
Sic bene quo fragret, cor prece adure pia.

Admirati-

A*Dmiratione profectò nõ caret, quod in tam diligenti alioquin inueſtigatione omnium rerum Naturalium, cum tot nauigationibus ac peregrinationibus vniuerſi ferme anguli orbis terrarum excutiantur, nihil adhuc certi tamen nobis conſtet de arbore Thuris, quemadmodum quoq; Myrrhæ. Quod etiam Plinius affirmat lib. 12. cap. 14. Quidam litteris prodiderunt in Arabia naſci, loco Saba dicto, vnde Virgilius 1. Georg.*

India mittit Ebur, molles ſua Thura Sabæi.

Hujus vero arboris Gummi dicitur eſſe inodorum, niſi extillans à ſole vel igne incaleſcat, quo modo etiam adhuc in acerra ſiue thuribolo ſuffiri ſolet. Ad eundem modum, niſi orationibus ac precibus, & reliquis vniuerſis pijs ac religioſis exercitationibus animum noſtrum ſine omni fuco ac ſimulatione (quæ inprimis Deo diſplicent) crebro incitemus ac inflammemus, odorem ſuauem & fragrantem bonorum ac laudabilium operum nũquam edere poſſumus. Sic Aromata ac potiſſimũ Thura igni impoſita, hieroglyphice (vt inquit Pierius lib. 46.) orationem ſpiritualis doctrinæ ſignificant. Et Goropius Becanus in ſuo Vertumno prolixe admodum declarat, apud priſcos ſacrorum antiſtites, Thus fuiſſe caritatis amorisq; teſſeram. Hanc ſimilitudinem quoq; exponit D. Auguſtinus in libello, cujus titulus Speculum peccatorum, hiſce verbis. Vt Thus non redolet niſi ponatur in igne, nec virtus Sinapis ſentitur, niſi conteratur in lapide; ita nulla ſcriptura ſacræ ſẽtẽtia vim ſuam declarat, niſi cocta in corde.

NEC

XXXI.

NEC DVM CES-SAT AMOR.



Omnia cum rapiat mors, non extinguit amorem,
Quo deuincta sibi est vsq; marita fides.

 Occasionem

OCCASIONEM *huic symbolo præbuit fabula illa poëtica de Amygdalo arbore, quam talem veteres mythologi finxerunt. Cum Phyllis hospitio recepisset Demophoontem exulem ac vagabundum, amore ipsius capta maritum sibi elegit. Hic paulo post coactus peregre abire ad expedienda sua quædam negotia, certo promisit intra unum mensem se rediturum esse, at cum insuper adhuc alios tres menses reuersionem suam distulisset, Phyllis tam longæ moræ impatiens, (cum, secundum Ouidium, credula res amor sit) ac se delusam ab ipso suspicata, cum antea epistolam quandam ad ipsum conscripsisset, sibi ipsi mortem consciuit, eamq́ postea in Amygdalum aridam conuersam fabulæ fingunt. Cumq́ Demophoon tandem reuersus, ac de tam funesto casu certior redditus, subito ad arborem venisset illamq́ complexus esset, aiunt in signum lætitiæ eam cœpisse virescere ac florere. Additus est Turtur in trunco sedens, qui & ipse castitatis & constantis amoris typus habetur. Apparet autem hoc symbolum eo venustius, quod hemistichium appositum sit desumtum ex Epistola ipsius Demophoontis à Sabino poëta vel alio composita instar responsionis ad Phyllidis Ouidianam. Quo mythologicè voluerunt poëtæ commendare constantiam, amorem & prioris vitæ memoriam stabilem, in marito superstite erga conjugem defunctam, & contra. Alibi adjectum legitur eodem sensu,* OMNIA NON ANIMUM. *aut* PECTORE VEL IMO LATET.

OPIS

XXXII.

OPIS INDIGA.



Stratus humi absentem palmes sterilescit ob vlmum.
Indiget alterius quilibet auxilio.

VITIS auulsa ab vlmo, qua antea sustinebatur, & vmbra frondium ipsius non parũ recreabatur, humi jam prostrata sine adminiculo isto fructus maturos producere nequit. Quo significatur in omnibus rebus semper vnum indigere alterius ope ac auxilio. Quod quidem potissimum locum habet inter probos & pios homines, in quibus charitas omnia præstat & implet. Quod eleganti admodum similitudine D. Chrysostomus in Matthæum Homilia LXXIX. (quæ vtinam sicuti alia ipsius scripta ob singularem sancti viri facundiam græce edita quoq; legi possent,) explicat, quando ait: Si in rebus secularibus nemo sibi viuit solus, sicuti opifex, miles, agricola, mercator ad communem vsum proximi omnia conferunt; multo magis in spiritualibus hoc faciendum. hæc enim maxime vita est, alijs prodesse. Nam qui sibi viuit, cæteros negligens, & vita ejus superuacua est, & ipse superfluus homo generis nostri. Ideo quoque ratione & oratione nos ornauit DEVS, mentem & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, vt his omnibus & nos & proximum juuemus. Hæc ille. Quod vnico versu D. Nazianzenus complexus est.


Ἀλλήλοισι χέρες τε καὶ οὔατα καὶ πόδες ἐσμέν.

Vnde etiam Platoni dicuntur homines ζῶα πολιτικά, id est, animalia ciuilia & ad societatem nata, quandoquidem sola viuere sine mutuo auxilio non possunt. Vnde etiam prouerbiũ vulgare natum, VNVS HOMO, NVLLVS HOMO.

VIM

XXXIII.

VIM EX VI.



Damna dat atque facit vis vi collisa potentum:
Ramorum attritu ut flamma resultat edax.

De vehementi ac continuo attritu lignorum ignem tandem excitantium ita scribit Plinius lib. 16. cap. 40. Calidæ sunt et morus, laurus, hedera, ac omnes ex quibus igniaria fiũt. Exploratorum hoc vsus in castris pastorumque recepit, quorum ad excudendum, vel, vt alij legunt, excutiendum ignem, non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, ignemq́ concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facilime concipientium. Sed nihil hedera præstantius quæ teratur, lauro quæ terat. Hæc ille. Duos tamen bacillos lauri hoc etiã præstare experientia quoq; testatur, & qui de Indijs scripserunt, idem adhuc cum alijs lignis calidioribus ibidem vsitatum esse fieri perhibent. Hoc vero inuentum, vt alia multa, Mercurio tribuit hymnus græcus ad ipsum scriptus. Sic etiam arboribus syluarum ventorum vi inter se collisis ignis elicitur, vnde Lucretius lib. 5.

Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammai feruidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.

Non aliter ex potentiorum dissensione & ira semper grauiora quàm aliàs pericula oriri certum est, vnde Guilhelmus Paradinus (ex quo hæc desumsimus,) prouerbium alterum quoq; allegat, Dura duris non quadrare in opere sartorio. Alibi legitur, FLAMMA EST RECLVSA TERENDO. *Apud Paradinum vero habetur,* FLAMMESCIT VTERQVE.

AMI-

XXXIIII.

AMICVS POST MORTEM.



Quamlibet arenti vitis tamen hæret in vlmo:
Sic quoq; post mortem verus amicus amat.

*V*LMUM *proceram arborem vitibus ſolere adjungi, & olim vſitatum fuit, & nunc etiam vbiq; in Italia, præſertim in Campania felici circa Neapolim fieri conſueuit. Quamuis vero hæc ſenio jam areſacta, & vigore priſtino deſtituta, nihilo minus tamen vitem retinet, ac ſuſtentat, non aliter ac antea creſcens & vireſcens factitare ſolebat. Ita etiam amici nobis comparandi, qui nec rebus aduerſis, nec temporum diuturnitate, neq; locorum diſtantia, vel vlla denique re à nobis temere deſciſcant, et nos amare deſinãt. Quod Phocion ille ſapiens Græcus apud Stobæum nos facere jubet,* ζητεῖν, *inquit,* δεῖ καὶ ἄνδρα καὶ τέκνα καὶ φίλους τοὺς ἄχρι τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ βίου παραμένοντας. *Id eſt, Quærendos eſſe virum & liberos & amicos, qui ad exitum vitæ vſque tales permaneant. Quæ omnia eruditiſſimus Alciatus in ſuis Emblematis ex græco Epigrammate conuertens ad hunc modum expoſuit.*

Arentem ſenio, nudam quoque frondibus vlmum
 Complexa eſt viridi vitis opaca coma.
Agnoſcitque vices naturæ, & grata parenti,
 Officij reddit mutua jura ſuo.
Exemploque monet, tales nos quærere amicos
 Quos neque disjungat fœdere ſumma dies.

Quo ſpectare quoq; videntur Catulliani verſus nuptiales.

Vt vidua in nudo vitis quæ naſcitur aruo,
Nunquam ſe extollit, nunquam mitem educat vuam.
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juuenci.
At ſi forte eadem eſt vlmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juuenci.

In aliis additur eodem ſenſu, ET ARIDA TECUM.

INTA-

XXXV.

INTACTA VIRTVS.



Sic illæsa malis constat pulcherrima virtus,
Laurus ut est diris integra fulminibus.

LAVRVM *custodiæ quoq; ac incolumitatis esse symbolum ex Proclo tradit Pierius, unde apud veteres tutelæ caussa sata prope ædes vel illis affixa fuit, quod etiam Ouidius testatur, cum dicit,*

Postibus Augustis eadem fidissima custos.

Eamq; insuper non lædi à fulmine, Plinio etiam astipulante, vetustas credidit. Vnde Tiberius Imperator Romanus tempestates & coruscationes nimium expauescens, cælo turbido lauream sibi solitus est imponere, non aliter ac Augustus ante ipsum nescio qua superstitione, ex vituli marini pelle in eundem finem cingulum gestare consueuit. Herodianus quoq; scribit lib. 1. in maxima peste, consulentibus Medicis, Commodum Imperatorem ob copiam arborum istarum in locum, cui nomẽ Lauretum, secessisse, quod beneficio harum arborum se à contagio immunem fore speraret. Ad eundem modum, virtus, cujus omnis laus in actione posita est, (secundum Ciceronem;) per se munita ab omnibus nõ solum vitijs, sed alijs rebus aduersis, semper illæsa ac integra durare solet, alijsq; vniuersis commoditatibus est præferenda. Vnde Horatius carm. lib. 3. ode 2.

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit, aut ponit secures,
Arbitrio popularis auræ, &c.

VVL-

XXXVI.

VVLNERE VVLNERA SANO.



Dic age cum proprio tua vulnere vulnera sanem,
Stipite cur hominum durior hostis homo es?

EXCELLENTISS. ac peritiſſimus Medicus D. Proſper Alpinus, qui octo annis in Ægypto Medicinam feliciter exercuit, & nunc magna cum laude Venetijs artem eandem factitat, veram Balſami deſcriptionem & locum natalem in ſuo præclaro libro de plantis Ægypti, & peculiari dialogo de Balſamo edito, unà cum ejus icone, primus ut puto hiſce temporibus nobis cum magna utilitate exhibuit, manifeſteq́ oſtendit, hunc fruticem in Arabia felici proprie nunc etiam naſci, ac inde in Ægyptum ac Iudæam ſemper tranſlatum eſſe, ac ita qui velint, legitimum nanciſci & habere æquo precio poſſe. Ex hoc frutice liquor iſte nobiliſſ. (cujus portiunculā quoq́ ad nos mittere dignatus eſt) vulnerato vel ſcarificato cortice in æſtate deſtillat, & hodie etiam in Ægypto illius magnus uſus eſt ad omnia vulnera ac ulcera difficilia ac ſordida, alioſq́ plures ejusmodi affectus. Docemur autem hoc Emblemate de mutua inter homines præſtanda beneuolētia ac promta opera, etiamſi interdum aliquid propterea laborum & moleſtiarū ſit ſuſcipiendum. Nihil enim (ut Cicero lib. I. de Natura Deorū tradit) bonitate ac beneficentia eſt melius aut præſtātius. Quod quidem S. Paulus multo efficacius ac verius in Epiſtola ad Coloſſ. cap. III. monet, ἐνδύσασθε inquiens σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ, χρηστότητα, ταπεινοφροσύνην, μακροθυμίαν, πραότητα. id eſt, induite viſcera commiſerationis, benignitatem, animi humilitatem, lenitatem, clementiam.

SIC

XXXVII.

SIC VOS NON VOBIS.




Pingitur in lauri vitis cur ſtipite nixa?
Sæpe etiam docti munere diues eget.

*V*ITIS *lauro fulta, rectius fructus ſuos ad maturitatem hoc modo producere poteſt, quamuis laurus ipſa quoq; non parum vtilitatis hominibus præbeat, atq; ita vtraq; ſtirps non ſibi ſed alijs hanc quaſi operam mutuam tradat. Quapropter nos quoq;, quibus proprie humanitatis virtus competit, cuncta noſtra cōſilia, ac vniuerſas actiones eò ſemper dirigere debemus, vt non ſolū nobis ſed alijs quoq; prodeſſe poſsimus. Nihil enim melius neq; præſtantius bonitate ac beneficentia, vt in priore ſymbolo quoq; ex Cicerone retulimus, lib. I. de Natura Deorum. Ex quo etiam apud eundem autorem altera præclara ſentētia, deſumta ex epiſtola Platonis ad Archytam, lib. I. de Officijs legitur: Non nobis ſolum nati ſumus, ortusque noſtri partem patria, partem parentes, partem amici vendicant. Atq; vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad vſum hominum omnia creari, homines autem hominū eſſe cauſſa generatos, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poßint, in hoc naturam ducem ſequi debemus, & communes vtilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando accep tandoque tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines ſocietatem. Hæc ille. Quæ ad varia officia mortalium ſibi mutuo inſeruiētium referri poſſunt: pertinentq; huc omnia quæ de* CHARITATE *ac amore tam ſacræ quàm profanæ nobis literæ proponunt.*

MODO

XXXVIII.

MODO IVPITER ASSIT.



Vt ſapias rectè & facias, Deus efficit: Ejus Auxilio plena lance beatus eris.

Exprimi.

EXPRIMITVR *hac pictura Pinus in Oleam inserta, circa quam duo serpentes circumvoluuntur, non aliter ac in Caduceo Mercurij depingi solent. Olea itaq; consecrata Mineruæ siue Palladi Iouis filiæ, (vt poëtæ allegorice fabulantur,) tanquam sapientiæ præsidi dicitur. Mercurius vero ipse quoq; Iouis filius, actionibus ingeniosis ac laudabilibus præesse perhibetur. Voluit autem doctißimus Ioannes Baptista Pigna, (quemadmodum Hieronymus Ruscellus in suis Italicis symbolis refert) hac inuentione ingeniosa vti, posteaquam summa cum laude diu in Academia Ferrariensi publice bonas Artes docuisset, ac tandem totũ sese tradidisset Duci Ferrariæ, cum quo à pueris fuerat educatus, ac deinceps principi isti in max. ac grauiß. negotijs semper fidelem nauasset operam. Hinc per Iouem voluit intelligere Deum Opt. Max. à cujus diuino auxilio ac prouidentia sese totum pendere, illique omnia accepta referre ingenue fatetur. Per terrestrem vero Iouem ipsum Ducem Ferrariensem herum suum clementißimum, designare studuit, atque ita hac duplici ope sperabat se ad vtrumq; genus vitæ, theoricum nimirum, vt vulgo vocant, ac practicum aspirare posse, in quorum conjunctione legitima non dubitabat certò consistere, non solum secundum Peripateticos, sed etiam sacratiß. litteras, veram & absolutã hoimnis felicitatem.*

SE SV-

XXXIX.

SE SVSTINET IPSA.



Vitis recta suo per se fulcimine nixa
Pingit eum, sua sors cui satis est, animum.

INTER *plura genera vitium, refert Plinius lib. 14. cap. 3. quoddam etiam peculiare reperiri, nullo plane indigens fulcro alterius arboris aut palis, sed quod ipsum sese sustineat, unde etiã à Græcis* ὀρθάμπελος, *id est, vitis recta nominatur. Strabo vero de mira vitis talis crassitie lib. 2. & lib. 17. ea scribit, quæ prope fidem communem superant. Hæc profecto imago est accommoda veræ* αὐταρκείας, *id est illius qui contentus est suis rebus suiq; ingenij dotibus, neque ab alijs temere pẽdet. Quas maximas diuitias certissimasq; nominat Cicero in Paradoxis. Et Lucretius inquit:*


Diuitæ grandes homini sunt viuere parcè
Æquo animo. &c.

Quod multo rectius ac plenius D. Paulus paucis docet. ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας, *inquit,* ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας. *id est, Quæstus autem magnus est pietas cum animo sua sorte contento. Et Syracides cap. 40.* ζωὴ αὐτάρκους ἐργάτου γλυκανθήσεται, *h. e. Vita operarij, cui quantum satis est suppetit, dulcis erit. Tam magni autem veterum nonnulli hanc* αὐτάρκειαν *fecere, vt teste Theodoreto in libro contra Græcos infideles sermone XI. in quo tractat de fine & judicio, in ea vltimum hominis quidam philosophi, autore Hecatæo, bonum statuerint. Quò pertinet etiam præclara sententia in Olympijs Pindarica hæc.* Ὑγιέντα δ' εἴ τις ὄλβον ἄρδει, ἐξαρκέων κτεάτεσσι, καὶ εὐλογίαν προστιθεὶς, μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι. *id est. Sanam autem si quis opulentiam irriget, contentus ijs quæ conquisiuit, laudemq; adjungens, ne quærat Deus fieri, vel vltra humanam sortem sese extollere.*

SPERA-

XL.

SPERARE NEFAS.



Aurea in hoc frustra speramus sæcula mundo,
Alterius sæcli quæ dabit ille Pater.

Q VERCVS *glandibus fœcunda indicat primum sæculum frugale, & simplex, quod, vt Ouidius cecinit,* —— vindice nullo
Spõte sua sine lege fidem, rectũq; colebat:
Quod inde aureum fuit nuncupatum. Adjungitur huic arbori palma sua sponte quoque vberes adeo fructus ad vsum hominum præbens. Ac sicuti hic duplex fructus illis felicibus temporibus absq; vllo labore quæsitus gratisq; passim mortalibus fuit cibus, ita etiam virtus ipsa ac honestas, quæ tum pleno, vt dicitur, gradu in terris florebat, animis eorum fuit alimentum suauiss. Descriptionem vero quatuor ætatum admodum luculentam, qui volet, legere poterit apud Ouidium *lib.* I. *Metamorphos. Itemq; apud Hesiodũ lib.* I. ἔργων καὶ ἡμερ. *Quẽadmodum vero omnes probi ac virtutis amantes tale sæculum quidem summopere exoptant, ita sperare vel expectare in posterum haud licet: de quo multorum etiam querelæ extant, & apud Senecam in Tragœdia Thyeste Chorus exclamat.* ——— in nos ætas

Vltima venit, ô nos dura
Sorte creatos. ————

Quod nostro huic calamitosiss. tẽpori multo rectius cõuenit.

Alij sacratiorem inde sensum eliciunt, quod nimirum post originalem justitiam lapsu primorum parentum amissam, in hoc mundo non liceat amplius sperare perfectionẽ absolutam & aureum seculum, sed istud nobis partum à CHRISTO *vnico nostro saluatore ac redemptore in altera vita æterna esse quærendum ac certo expectandum, ita tamen vt in hoc quoq; mundo, diuina adjuuante gratia, aliquem illius gustum ac sensum habere incipiamus.*

SVSTI-

XLI.

SVSTINE VEL ABSTINE.



Carpere parce meas frondes, qui ſingula carpis,
Vulneret audaces ne tibi ſpina manus.

MANVS hominis spinosissimum fruticem Rhamnũ temere contrectans, ac inde seipsam vulnerãs, indicat curiositatẽ siue πολυπραγμοσύνην, quam Plutarchus dicit esse φιλομάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν, id est, studium cognoscendi aliena mala, non solum inutilem sed etiam sæpenumero detrimentosam esse, cum homines in aliena semper inquirere, & quæ non sui sunt officij cum magno suo damno peragere volunt. Vnde etiam recte Plautus in Sticho dixit, neminem esse curiosum quin sit maleuolus: & Menandri præclara est sententia,

Τὸ πολλὰ πράττειν καὶ λύπας πολλὰς ἔχει.
Multa facere & molestias multas continet.


Potest idem quoq; referri ad alias res periculorum & molestiarum plenas, quibus si frui cupiamus, multa nobis discrimina sint subeunda. Aliud Epicteti est generalius dictum, qui reliqua philosophorum dogmata, quæ ad humanæ vitæ institutionem pertinent, duobus verbis complecti voluit, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id est, Sustine & abstine. De quo vide plura apud Gellium Atticarum noctium lib. 17. cap. 19.

Ac D. Chrysostomus Homilia 45. in S. Matthæum ad voluptatet hujus sæculi hoc symbolum accõmodat. Quemadmodum, inquit, acuti vepres vndecunq; tanguntur ac constringuntur, manus cruentant, eodem modo deliciæ, pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiunt, &c.

NEGLE-

XLII.

NEGLECTA VIRESCVNT.



Emergens virtus noua ſpernitur, vt roſa brumâ.
Expecta: Flores fota calore feret.

*R*OSÆ *frutex hyberno tempore, quasi aridus spinisq́ solummodo horridus, carens folijs ac floribus negligitur prorsus, vel etiam pedibus conculcatur. Primo tamen veris tempore vix depulso frigore hyberno, beneficio mitioris ac temperatioris aëris rursum reuirescere et rosas protrudere, antea ab omnibus neglectus, incipit. Non aliter sæpe virtuti primum sese exerēti ac primum emergenti, quæ quidem crebrius quàm matura ac omnibus numeris absoluta inuidiæ stimulis est exposita, insidias struere, ac quasi adhuc in herba versantē suffocare homines mali ac inuidi conantur. Vnde sæpenumero quidam inprimis suæ ætatis annis viuacitatem ingenij & laudabilem industriam ad omnia honesta præ se ferentes inuidia ac maleuolentia aliorum, quasi frigore hyberno non parum retardantur ac impediuntur, ne scilicet plenam de se spem conceptam tempestiue adimplere poßint. Non raro tamen rursum diuino inprimis adjuti auxilio, tanquam aura clementiore conseruati ac excitati rursum repullulant, & ad frugem optatam tandem perueniunt. Quod egregium exemplum merito omnes ingenui adolescentes, ad præclaras virtutis actiones cupide aßpirantes, ante oculos continuo habere, nec vllo modo à recto tramite abduci, sed potius fructus laudabiles suorum laborum suo tempore proferre debent. Alibi additur,* NON SEMPER NEGLECTA.

VIRTVS

XLIII.

VIRTVS DIFFICILIS SED FRVCTVOSA.



Ardua vallatur duris sapientia scrupis:
Dulcibus ast eadem fructibus illa scatet.

Desumtum est hoc symbolū ex eruditiss. Emblematis Adriani Iunij; cujus hæc est interpretatio. Nux pinea, quæ olim Cybelæ fuit sacrata, colliculis qbusdam inæqualis ac aspera, miræque duritiæ est, quæ vix ignis vi reserari potest. intus vero nuclei dulces latitant, non parum ad alimentum ac diuersos hominum morbos vtiles. Sic ad virtutē & honestatē ac laudabiles actiones non nisi per labores ac varias difficultates perueniri potest, at postea sequuntur suauiss. fructus. Quæ omnia Hesiodus paucis versibus ita eleganter complexus est, vt & Socrates eos cōmendet apud Xenophontem lib. 2. ἀπομνημον. *& Ciceroni quoq; vehementer placuerint, ideoq; lib. VI. Epistolarū familiarium ad Leptam, monuerit amicum suum, ut filium ipsius jubeat Hesiodea iste ediscere, semperq; habere in ore.*

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπήπερ ἐοῦσα.

Quos quidam satis eleganter vertit in latinam linguam:

——————— Virtutem sudoribus vndiq; diui
Præsepsere, & longus ad hanc perque ardua callis,
Asper & est primum, sed vbi alta cacumina victor
Contigeris, jam fit facilis, licet ardua dudum.

Simonides etiam apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Stromatum, habitare virtutem δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, *id est, in rupibus difficilimis, dixit. Ac Ouidij est præclarus versus.*

Gloria difficili parta labore venit.

IDEM

XLIIII.

IDEM AMBO.



Persea fert cordis fructus, folia æmula linguæ,
O utinam in cunctis hæc bene juncta forent!

F*RVCTVS arboris Perſeæ formã cordis repræſentare, folium autem cum lingua ſimilitudinem habere, Plutarchus quoq; in libello de Iſide et Oſiride notauit, cũ in Ægypto Harpocrati hæc arbor fuerit dicata, cujus veteres mentionem fecerint; & inter recentiores Carolus Cluſius in ſuis obſeruationibus Hiſpanicis diligenter deſcripſit ac delineauit. Plinius tamen cum Perſico arbore (cujus forſitan nonnihil congener eſt, ſpecie autem differt) videtur quodammodo confundere. Docemur hoc ſymbolo, veritatis orationem debere eſſe ſimpliciſſimam, ac vndiq; ſibi conſtare, vnde Germanis prouerbium quoq; adhuc frequens eſt, volentibus Cor & linguam oportere vnum idemq; eſſe. Quod vtinam hoc noſtro ſæculo, in quo*

Candor *inter homines* res intermortua pæne eſt,

plures diligentius obſeruarent, cum profecto, ſecundum B. Nazianzeni dictum grauiſſ. πᾶν ὅ πλάσσοιτον οὐδὲ μόνιμον ἐςι, *id eſt, nihil ſimulatum poſſit eſſe diuturnum. Videmus autem & quotidie experimur, potius jam nimis vere in multos conuenire iſtud Ciceronis, in quadam Epiſtola ad Quintum fratrem, dictum, vbi ait: Multis ſimulationum inuolucris tegitur & quaſi velis quibusdam obtenditur vniuscujusq; natura: frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur: lingua autem ſæpiſſ. Definit vero idem Cicero Veritatem libro 2. de inuẽtione, per quam immutata ea quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. Ad veritatem autem amplectendam Sophoclis eſt egregia cohortatio.*

Θάρσει, λέγων τἀληθές, οὐ σφαλῇ ποτε.

Bono ſis animo, vera dicendo nunquam erraueris.

CITO

XLV.

CITO NATA CITO PEREVNT.



Quid certat tardæ citò nata cucurbita pino?
Interitu celeri, quæ citò nata cadunt.

A*LCIATI hoc est symbolum, quod Petrus Crinit⁹ de honesta disciplina lib. 2. cap. 14. longe ante ipsum in hunc modū exposuit. Sata est olim Cucurbita iuxta Pinum arborem procerissimam. Cum vero multis pluuijs ac cœli temperamento hæc plurimum creuisset, lasciuire cœpit & ramulos audacius porrigere, iamq́; in pinum serpebat & in suos ramos audebat frondes inuoluere, prægrandia sua poma ac virescentia ostentans. Tanto itaq; fastu ac insolentia intumuit, vt pinum ipsam ausa sit hoc pacto aggredi. Et vides ait, vt te jam supero, vtq́; folijs ac virore præsto. Tum pinus, quæ senili prudentia præstabat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed respondit: Ego vero hic multos calores & hyemes, variasq́; temporis aduersitates pertuli, adhuc tamen integra consisto, tu vero ad primos rigores minus habebis audaciæ, nam frondes concident, & virescere desines. Hunc apologum integrum placuit huc afferre, quandoquidem opt. in omnis generis ardeliones & agyrtas, & auaros audacesq́ue Empiricos nostrorum temporum conuenit, qui si quando nescio quam momentaneam gloriam ac felicitatem suis fraudibus ac ostentationibus conquisiuerint, quibus etiam probis & doctis viris audacter insultare non erubescunt, paulo post tamen vbi serio aliquid tractare coguntur, & ad rem ipsum peruentum est, concidunt ac tanquam fumi venditores ipso fumo pereunt. Quod multis exemplis quæ præ foribus sunt probare nominatim non esset difficile, nisi breuitati studere mihi propositum esset. Alibi apponitur,* BREVIS HÆC EST GLORIA. *vel ex Martiale,* IMMODICIS BREVIS EST ÆTAS.

TVRPI-

XLVI.

TVRPIBVS EXITIVM.



Cantharidum rosa mors. Sic luxus deliciæq́;
Eneruant animos eripiuntq́; virûm.

Canthari

*C*ANTHARI *ac scarabei & hujus generis insecta plurima ita fætoribus ac sordibus, ex quibus originem duxerunt, delectantur, ac illis sustentantur, ut contrà odorum suauitate planè exanimentur ac pereant. Ideoq; Rosis insidentes scarabei vel cantharides torpescere, vel tandem emori dicuntur. Ad hunc modum molles ac effœminatos in suis voluptatibus ac delicijs, quæ non solum corpori, sed menti quoq; obsunt, plurimũq; nocent, paulatim contabescere ac tandem illicito luxui interitu suo meritas pœnas luere cõstat. Quod Claudianus lib. 2. ad Stiliconẽ egregie hisce versibus nobis explicauit.*

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effœminat acrius herbis,
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior vlla,
Interius fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, toruos auro circumligat hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

Silius quoque Italicus breuiter hæc exposuit.


—Nec ira Deûm tantum, nec tela nec hostis,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.

Pierius in suis Hieroglyphicis refert, Hannibali alioqui duro, sed ob Capuanas delicias tandem effœminato, non abs re scutum debuisse offerri, in cujus medio Scarabeus fuisset depictus, quem vndiq; rosarum serta ambirent, significatione eadem, quam hoc symbolo exprimere voluimus.

SIT

XLVII.

SIT MODVS IN REBVS.



Sit tibi, ne noceat, vini moderatior vsus:
Prima sitim, curas altera pocla leuent.

D*Esumtum est hoc symbolum ex Horatij versibus,*

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraq; nequit cōsistere rectū.

Monemur autem hic inprimis, vino esse sobrie ac ἐπισταμένως, *(vt loquitur Theognis,) vtendū, ad virium debilitatarum recreationem & læticiam quidē, sed non ad ebrietatem, quod etiam vbiq; in sacris litteris serio nobis proponitur ac explicatur. Vnde D. Basilius in sua luculenta quadam de Ebrietate oratione, hanc non immerito vocat* ἀκρόπολιν, *id est, arcem omnium flagitiorum. & Athenæus lib. 10.* μητρόπολιν πάντων τῶν δεινῶν. *Quod vt vbique hominibus inculcatur: ita certe deplorandum est, nihilominus hoc vitium maxime detestandum adhuc esse non solum nimis commune, sed apud multos ferme haberi virtutis loco, cui etiam præmia proponantur, vt olim à Mithridate factum accepimus, ijs qui plurimum biberint. Explicat autem adhuc melius hoc symbolum carmen quoddam in Microcosmo, libello elegantißimo nuper impresso Antuerpiæ, hisce verbis.*

Tres vitis profert vuas, tria pocula mensæ,
Si circumspicias, apposita esse vides.
Muta tribus vicibus docet hæc pictura bibendum,
Scilicet vt sedent pocula prima sitim,
Altera rancorem crudo de pectore pellant,
Firma valetudo quo tua membra beet.
Tertia sed misce tibi pocula propter amicos,
Inter quos maneant gordia vincla decet.

BENE-

XLVIII.

BENEVOLVS ATQVE BENIGNVS.



Qui semiclauso conniuent germine flores,
Dilatati, aries quando fauebit, erunt.

CIPIO reuersus ex Africa, et primus triumphaturus de Hannibale, iussit vt milites octauæ legionis, qui primi etiam castra Carthaginensium oppugnauerant, ac Ducis eorum insignia abstulerant, non solum die triumphali manu gestarent fasciculum rosarum, sed inposterum quoque in clypeis similiter depictas rosas vsurparent. Posterior quoq; Scipio post expugnationem & destructionem vltimam potentissimæ vrbis Carthaginis, voluit milites vndecimæ legionis, qui etiam ipsi ante alios omnes muros conscendissent, easdem Rosas in suis armis & scutis gestare, atq; hoc modo cum ipsius Scipionis curru triumphali vndiq; rosis similiter exornato vrbem ingredi. Sic apud Homerum legitur Achillis scutum rosis fuisse insignitum, nec non cassides Hectoris atq; Æneæ. Rosæ itaq; hoc loco nondum plane maturæ ac apertæ indicant allegorice iuuenilis animi, heroica virtute præditi in principe expectationem singularem, qui ratione ætatis sua consilia ac facta nondum omnibus potest probare nec cũctis innotescere. Additur autem supra rosarum fruticem in regione cœlesti signum Arietis, quod veris tempus amænũ nobis solet adducere, & illi quasi præesse, quo tempore Rosæ maxime florent, & ob suauiss. odorem inprimis expetuntur. Non igitur sine ratione hoc symbolo vti in sua iuuentute Virginius Vrsinus filius Pauli Iordani, eoq; innuere voluit, magnam spem se collocare in beneuolentia ac gratia sui auunculi Cosmi Medicis Magni Ducis Hetruriæ, cui Arietis signum, vt etiam Augusto Cæsari, fuit in horoscopo.

NON

XLIX.

NON INFERIORA SECVTVS.



Solis vt hunc florem radiantia lumina versant,
Dirige sic mentem Christe benigne meam.

ST egregia quædam planta admiratione sane digna, ante paucos annos inter exoticas ad nos quoque allata, & vbiq; jam in hortis colitur, quam Chrysanthemum Perunianũ à loco natali, à forma plantam maximam, Florem solis vero propter effectum & similitudinem nominant. quidam Bellionem Plinij esse opinantur, incerta tamen (meo judicio) conjectura. Hæc intra sex vel ad summum septem mensium spacium, ex quo terræ semen ipsius est mandatum, eo peruenire solet magnitudinis, vt humani brachij crassitiem, & altitudinem duodecim vel plurium cubitorum excedat. Quemadmodum verò florum densitate ac multiplici foliorum numero Pæoniæ nonnihil cedit, ita seminum copia, quibus altera caret, hanc longe superat, nam eorum vltra mille in vno cippo numerauimus. Cum itaq; hic flos etiam solem semper respiciat, adq; ejus radios sese plurimum pandat, & superiora semper respiciat, decet nos etiam multo magis ad verum datorem & largitorem omnium bonorum ἐπουράνιον *continuè oculos mentis attollere, nec terrenis, caducis ac voluptarijs bonis quasi humi jacentes semper inhiare: ostendentes, secundum Platonem quoque, nos esse cœlestes plantas. Genuæ in palatio Francisci Leccani aliud symbolũ pulcherrimum huic non dissimile legitur,* E COELIS LVX, EO INTVERE. *Sic Boeth: de consolatione.*

Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere solem.

HINC

L.

HINC RECTE FACIES.



E Lauro, Quercu atque Olea duce digna corona
Prudentem, fortem pacificumque decet.

Sertum

*S*ERTVM *vel corolla ex triplici genere ramuſculorum, nimirum ex Lauro, Quercu & Olea contexta, ac cuidam ſacræ Aræ impoſita conſecrataq́, allegorice nos monet vt harum arborum naturam ac proprietatem imitemur, & ſecundum myſticum earum ſenſum vitam noſtram vniuerſam integritati ac pietati cõſecremus. Per Laurum enim Apollini dicatam, ſtudium prudentiæ & rerum cauſſas inueſtigandi intelligimus, vnde Dionyſius* μαντικὸν φυτὸν, *id eſt, arborem vaticinatricem vocat, in quem finem Lauro propter ſingularem doctrinam poëtæ coronabantur, nam à fulmine id eſt temeritate & ignorãtia immunis eſſe putabatur. Quercus vero Ioui ſacra fuit tanquã prima arborum, ac propter incorruptam ipſius materiam, & diu durabilem, fortitudinem ac conſtantiam animi exprimit, quibus contra ſenſuum aberrationes ac illecebrarum fortuitarum inſidias nos munire debemus. Oleam deniq́, Palladi attributã, pacis eſſe ſymbolum nõ ſolum Græcorum* μυθολογίαι *& nummi antiquorum plurimi teſtantur, ſed etiam ſacræ litteræ paſſim indicant. Poſt diluuium enim à Noë Columba emiſſa ex Arca, ac celeriter reuerſa ſurculum Oleæ attulit, quo indicio Noë lætatus, ſenſit diluuij tempeſtatem jam ſedatam, & terram rurſum eſſe ab eluuie aquarum liberatam.*

COELE-

LI.

COELESTIA NON SIC.



Ah quàm forma rosas cito deficit inclyta pulchras!
Non ita cœlestis quas Paradisus habet.

R*OSA inter alios omnes flores, grata ac odorata, breui quidem admodum tempore durat, sed rursum languescens ac exarescens perit. Similis planè ratio est hujus vitæ nostræ caducæ, fluxæ ac incertæ. Vnde ex recentioribus quidam rectè cecinit,*

Vt rosa mane viget, tamen & mox vespere languet,
Sic modo qui fuimus, cras leuis vmbra sumus.

Quæ quidem ad cœlestem pulchritudinem illam nunquam pereuntem, animum nostrum merito debent excitare, ac ad perpetuam illius considerationem nos assuefacere. Cum ibidem, (secundum S. Paulum 1. Corinth. 2.) ea præparauerit DEVS *diligentibus se, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascenderunt. Atq; hæc cupidissime expetenda, cæteris vero si ita acciderit, moderate carendum esse indicant quoque Gregorij Nazianzeni suauissimi versiculi.*

Θεοῦ μόνου θέλων τε ἀπλήστως ἔχειν,
Ὃς τοῖς λαβοῦσι καὶ πλέον χαρίζεται
Διψῶν τὸ διψᾶσθαι, ἀφθόνως ἀεὶ ῥέων.
Ἐν τοῖς δὲ λοιποῖς καὶ φέρειν ἡσσώμενος.
Solum Deum & diuina concupiscito,
Sumentibus qui & plura largiri solet,
Sitiens sitiri, semper affluens bonis.
In cæteris voto excidens modum obtine.

Hoc de omnibus floribus eleganter exposuit D. Chrysostomus Homilia in Genesin 43. hisce verbis. Quemadmodum floridum quoddam pratum varios & omnis generis flores exhibet; ita diuina scriptura justorum virtutes nobis demonstrat, non vt illorum florum fragrãtia breui tempore fruamur, sed vt perpetuã inde vtilitatem recipiamus, & eas in sinu mentis reponamus, vt per omne tempus, si volumus, eorum suaueolentia frui possimus.

INSPE-

LII.

INSPERATA FLORVIT.



Floruit Aroni vi numinis arida virga.
Me quoq; florentem spes animosa facit.

VIRGA Aaronis, vt habetur Numer. cap. 17. inter omnes alias virgas Principum Israël sola cœpit germinare ac virescere, ac flores amygdali protulit, indicans Leuiticæ tribus electionem ad Sacerdotij dignitatem peculiarem, quoniam nulla alia tribus Israëlica cum ea hac in parte conferri potuit, vt quæ præ alijs ad hanc dignitatem electa fuerit, quæue tanquam amygdalus inter arbores prima florem & fructum proferret, cæterisq́; arboribus anteiret. Quam virgam ita floridam Iudaicus postea populus in suis nummis quos siclos vocarunt, designari curauit. Quod symbolum vsurpare Adrianus sextus Pontifex Romanus, patria Traiectensis in Belgio, oriundus ex familia Florentia non obscura, & hoc pacto ad familiæ cognomen alludere voluit: qui ante hanc dignitatem Præceptor Caroli V. & postea in Hispania ob acumen ingenij & prudentiam singularem ad publica negocia tractanda posthabitis alijs fuit adhibitus. Quo symbolo indicauit ad summos hosce honores tam præter suam quàm aliorum expectationem ac spem ipsum fuisse cuectum, quibus tamen (haud scio qua de caussa) non adeo diu frui illi concessum fuit. Apud Guilhelmum Paradinum aliud dictum est appositum, nimirum, SEMINE AB ÆTHERIO, *Comprobans diuinitus electam ac conseruatam tribum Leuiticam contra Dathan & Abiron factiosos ac Aaronis sacerdotij, diuiniq́; ministerij perturbatores.*

PER

LIII.

PER OPPOSITA.



Liuor iners stimulos generosis mentibus addit,
Sic per fœda rosis allia crescit odor.

PLVTARCHVS *in libello, quem inscripsit,* πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελεῖτο, *id est, de capienda ex inimicis vtilitate, hoc symbolum docte admodum & elegãter hisce verbis interpretatur. Sicuti periti agricolae rosas ac violas existimant se odoratiores ac meliores reddere, si allia ac cæpas juxta eas plantent, quod in ea excernatur, quicquid alioqui alimenti acerbi aut fœtidi illis inest: ita inimicus quoque excipiens inuidia & malignitatis alterius ictus, beneuolentiorem aliquem amicus secunda vtentibus fortuna reddet atq; commodiorem. Hucusque Plutarchus. Hæc quoq; explicat doctißimus Costæus in II. libro de Natura plantarum cap. 43. quo in loco inquit: Sed & satione fœtidarum rerum prope flores, odore euadent suauiore, vt si allium prope rosam collocaueris. Cum enim simili omnia nutriantur, & ab allio, si quid terræ fœtidi inest, in suum trahatur alimentum, quod reliquum est purius remanet, idque in rosæ cedens nutrimentum, suauioris in ea & succi & odoris est caussa. Vt illud addam, calescere vi allij terram, proptereaq; & calidius & elaboratius esse quicquid in rosam perfertur.*

SI VI-

LIIII.

SI VIVET VIVAM.



Muri hederam, hæc illos, alterno munere, firmant.
Hic typus expressus mutuæ amicitiæ est.

Hederam

HEDERA vincire quasi quibusdam brachijs quicquid apprahenderit, arctißimeque continere solet. Vicißim ergo etiam murorum rudera ea ita sustentantur, ne corruant, ac pariter quoque ab illis conseruatur, ac erigitur, vt hac ratione neutrum sine altero poßit consistere. Qui profecto typus est veræ constantisq; amicitiæ, de qua inprimis Cicero aureolum libellum illum, qui vtinam quemadmodum omnium manibus teritur, sic etiam in vniuersa vita à cunctis obseruaretur, accurate conscripsit. In quo inter alia plurima præclara dicta, etiam hæc commemorat: In amicitia & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilli valent, & quod difficilius dictu est, mortui viuunt. Ac paulo post subjungit: Est enim amicus quidem tanquam alter idem. Lælius quoq; in fine ejusdem libelli commendans amicitiam, quæ fuit inter Scipionem & ipsum arctißima, tandem hæc subjungit: Mihi quidem Scipio, quanquam est subito ereptus, viuit tamen, semperq; viuet. Ac Seneca in Epistola 67. scribit: Nihil æque ægrum reficit sicuti amicorum affectus. Non video me mori cum illos superstites relinquero. puto, inquam, me victurum non cum illis sed per illos. Alij ad amatoria nescio quæ hæc transferunt, de quibus non opus est hoc loco differere.

HINC

LV.

HINC RAPTA IVVANT.



Verna rigant pluuijs languentes nubila flores,
Nos Pater, ætherij Flaminis imbre foue.

NVBECVLÆ mites & irriguæ pluuiam suauem ac vtilem super prata virescentia ac flosculorum variorum amœnitate vndiq; referta leniter effundentes, viuifico illo ac suaui humore intra terræ viscera attracto, plurimum reficere & lætiora reddere solent: absq; illis vero, siccitate & squallore plane exarescunt. Vnde Propheta Ieremias cap. 51. Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo. Similiter quoq; viri docti & prudentes, multarum rerum peritia excellentes, dona sua à Deo ipsis cõcessa non inuide occultant, sed diuino inprimis auxilio adjuti de omnibus bene mereri, ac liberaliter scriptis dictisque suis egregijs vniuersis prodesse student, diligenter operam dantes, ne secundum sanctum vatem Dauidem, sint tanquam γῆ ἄνυδρος, id est, terra sine aqua, aut, quemadmodum S. Iudas Apostolus loquitur, nubes sine aquis, sibi tantum viuentes, sine vlla aliorum vtilitate. Sic vir Dei S. Moses (vt est in ipsius Cantico Deuteronomij 32.) optat vt concrescat in pluuiam doctrina sua, ac fluat vt ros eloquium ipsius, quasi imber super herbam, & tanquam stillæ super gramina.

SVRGET

LVI.

SVRGET VBERIOR.



Luxuriem segetis castigat falce colonus.
Ingenium præcox reprime: sic sapies.

IN agris lætioribus præq́; vbertate nimium luxuriantibus, segetes interdum tanta fertilitate crescunt & augentur, vt nisi suo tempore nonnihil demetantur, & nimia copia illis detrahatur, seipsas suffocare, ablatis vero superfluis, multo quàm prius crescere vberius soleant. Non aliter quædam nimis ambitiosa ac felicia ingenia plus quàm oportet sibi tribuentia, ac ideo omnia audacter ac præcipitanter agentia, sæpe se ipsa euertunt ac consumunt: at si interdum falce moderationis ac humilitatis reprimantur ac castigentur, tum demum fructus maturiores ac præstantiores producere consueuerunt, contrà præcocia & nimiū luxuriantia ingenia sæpe in ipsa quasi herba suffocantur. Nam juxta Senecam, ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Quò pertinet D. Augustini dictum in Epistola 1. ad Maced. Quædam acutiss. & excellentiss. ingenia tanto in majori errant, quanto confidentius tanquam suis viribus cucurrerint, nec suppliciter ac veraciter DEVM, vt vitam sibi ostenderet, petiuerint.

LVII.

SIC VITAM IN-VENIES.



Spica attrita manu sua grana effundit ad vsus:
Sic ostende actu, quæ meditata tenes.

SPICÆ jam maturæ inter duas manus nisi continuè fricentur ac validè exprimantur, grana frumenti in illis conclusa inde non possunt excuti vel rectè colligi, quibus ita expressis conuenientissimū illa alimentum generi humano præbent. Ita etiam quamtumuis præclaræ cogitationes ac meditationes de rebus tam sacris quā profanis, nisi ad actum, vt dici solet, traducantur, parum vtiles esse solent. Vnde etiam Cicero in I. De Officijs libro ait Virtutem omnem in actione positam esse, quod sumsit ex luculenta de hac re disputatione Aristotelis in X. Ethicorum Nicomacheorum. Opus itaq; est ad res præclaras peragendas multum laboris ac defatigationis impendere. Vnde etiam Ouidius:

Quæ latet inq́ue bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturq́ue malis.

CL. vir, singulari doctrina præditus Nicolaus Reusnerus, in secunda parte suorum Imperatoriorum symbolorum, ex D. Chrysostomo desumtum attribuit FL. Valerio Constantio Imperatori Roman. ejusmodi symbolum, VIRTVS DVM PATITVR VINCIT. *Quod inprimis de Christiana pietate ac virtute intelligendum, quemadmodum præclare dicitur in Epistola ad Hebræos cap. 12.* πᾶσα παιδεία πρὸς μὲν παρὸν οὐ δοκεῖ χαρᾶς εἶναι, ἀλλὰ λύπης. ὕστερον δὲ καρπὸν εἰρηνικὸν τοῖς δι᾽ αὐτῆς γεγυμνασμένοις ἀποδίδωσι δικαιοσύνης. *Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudij sed molestiæ. At postea fructum tranquillum justitiæ reddit ijs, qui per illam fuerint exercitati.*

GAV-

LVIII.

GAVDET PATIENTIA DVRIS.



Fortis ab aduersis animus præclarior extat:
Pondere sic pressus surgit acanthus humo.

Acanthus

ACANTHVS ea herba esse putatur quam vulgo à similitudine foliorum cum pedibus vrsinis, Brancam vrsinam Italicam vocant, & apud nos quoque hoc tempore excolitur. De qua Vitruuius lib. 4. cap. 1. historiam refert ejusmodi. Virgo ciuis Corinthia jam matura nuptijs, implicata morbo discessit. Post ejus sepulturam, quibus ea viua delectabatur poculis, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum, & in summo collocauit, atq; vti ea permanerent diutius sub diuo, tegula texit. Is calathus fortuito super acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere pressa radix acanthi media folia & cauliculos circa vernum tempus profudit, cujus cauliculi secundum latera crescentes, & ab angulis tegulæ ponderis necessitate expressi, flexiones in extremas partes volutarum facere sunt conati. Tunc Callimachus Statuarius præteriens hoc monumentum, animaduertit eum calathum, & circa foliorum nascentem teneritatem, delectatusq; genere & formæ nouitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit. Hactenus Vitruuius. Vt igitur hæc herba melius crescit ac elegantius, si nonnihil prematur: sic etiam animus fortis & sua virtute inuictus contra omnes insultus fortunæ, in aduersis semper sese magis exerit, ac multo clarius omnibus conspiciendum præbet. Vnde Lucanus.

———serpens sitis, ardor arenæ,
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris.
Lætius est quoties magno sibi constat honestum.

Camillus de Camillis in Italicis symbolis addidit, PRESSA TOLLITVR HVMO.

SERVA-

LIX.

SERVARI ET SERVARE MEVM EST.



Seq́ aliasq́ pudens matrona à crimine seruat:
Putrorem milium ceu procul esse facit.

MILIO quandam peculiarem vim naturalem inesse constat, non solum longo tempore (propter suam siccitatem potissimum) seipsum, sed alia multa, quæ in illius acervis reconduntur conseruandi à corruptione ac putredine, qualia sunt Rhabarbarum, Camphora & similia non pauca. Typus certe valde appositus matronæ pudicissimæ, quæ semper castitatem, honestatem & omnem virtutem huic sexui conuenientem & necessariam præ oculis habere, & non solum sedulo curare debet quo pacto seipsam, sed etiam omnes quæ illius fidei sunt commissæ ab omni labe & turpitudine integras ac inculpatas semper conseruet. in quam vere illud Senecæ in Octauia competit,

Probitas, fidesque, conjugis mores, pudor,
Placeant marito. ———————————

Ac secundum Aristotelem in Oeconomicis, non tantũ nitor vestimentorũ, nec excellentia formæ, nec auri multitudo ad laudem mulieris valet, quantum valet modestia in rebus, ac studium honeste decorecq; viuendi. Hocque laudatiss. symbolum eam ob caussam sibi elegit vsurpandum illustrissima Marchionis Vastij conjunx Maria de Arragonia, specimen & imago certissima omnis honestatis, castitatis ac prudẽtiæ, quæ in hunc sexum potest cadere: de cujus laudibus plura, qui volet, legere poterit apud Paulum Iouium & alios scriptores Italicos passim in eorum scriptis. Alibi non minus elegans & vetus dictum additur, SERVATA VALEBVNT.

INVI-

LX.

INVICTA MANEO.



Syrius vt flagret; viret ac perfusa liquore est.
Candida sic durent pectora firma fide.

NON caret admiratione, paruulam hanc, at elegantem plantam plærunque sabulosis ac vdis locis, interdum etiam vmbrosis syluis prouenientem, & quæ cum capillaribus herbis magnam habet affinitatem, veteribus forsitan ignotam, ad multos morbos tamen efficacem, quamtumuis etiam æstate ardentissimis solis radijs sit exposita; nunquam tamen folia ipsius, caua instar pusilli cochlearis, roscido quodam humore destitui, eorumq́; lanuginem admodum teneram guttulis quibusdam pellucidis semper madere, vnde etiam nomen sortita est, vt Rorem Solis ac Rorariam recentiores nuncuparint, de qua Chymici nescio quæ arcana prædicant, vt Isaacus Hollandus proprio scripto testatur. Illustris profectò hæc imago est, nos etiam in summis caloribus ac æstibus calamitatum & afflictionum nũquam flaccessere aut succumbere, si ex sacratiss. verbi diuini fontibus viuidum semper ac roscidum succũ, qui nos subinde recreet, alat ac sustentet, hauriamus. Qui alioquin nimia rerum humanarum ac caducarum cupiditate dissipatus ac consumtus, perpetuum marcorem, & tãdem interitum perniciosum producit. Vnde Chrysostomus in Epistolã S. Pauli ad Corinth. serm. 26. Τότε γὰρ καὶ ἡ ψυχὴ καθαίρεται, ὅτε διὰ τὸν Θεὸν θλίβεται, *id est, Tunc etiam anima purgatur, quando Deo volente affligitur. Quo in loco plura admodum vtilia idem sanctus & disertus pater exponit, quæ hîc recensere nimis longum foret.*

NVN-

LXI.

NVNQVAM LANGVESCIMVS.



Impauidum inuictumq́ animum signas amaranthe:
Et vegetis senibus grata corona tua est.

 Dioscori-

DIOSCORIDES *Helichrysũ nominat quoque Amaranthum*, ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, *id est, quod nunquam marcescat. Sed Plinius diuersam ab eo plantã, purpureo flore præditam ita vocare videtur, quam Itali* fior velluto *appellant, puellis ob colorem viuidum et perennem ad coronas texendas gratiss. præsertim hyberno tempore vbi viuidum suum colorem adhuc retinet. Fasciculum ex hisce floribus spicatis colligatũ, in signo siue vexillo suo militari depictum gestauit pro symbolo egregius copiarum equestriũ ductor Fabricius Gesualdus Neopolitanus, quo voluit innuere, se in omnibus rebus, quæ spectent ad sui regis autoritatem & vtilitatem conseruandam, semper impigrum præstiturum, nullosq́ labores aut pericula vnquam subterfugiturum, sed sine intermissione animo præsenti ac intrepido prouinciam sibi demandatam pro virili administraturum esse, secundum Virgilianum istud,*

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Annotat vero Pierius quoque in suis Hieroglyphicis, veteres illorum capitibus, qui valetudine integerrima viribusq́ ad extremũ senectutis vegeti vixissent, solitos fuisse Amaranthinam corollam imponere, propter eandem, quam jam attulimus, rationem.

CADV-

LXII.

CADVCA VOLVPTAS.



Hæc rosa centuplici ceu flore decora, caduca est:
Sic formæ & vitæ mox perit omne decus.

Theophra-

THEOPHRASTVS *scribit esse genus quoddam rosarum circa Philippos in Græcia, cētum folia continens, cujusmodi Plinius ex Pangæo in Campaniam trāsplantatas perhibet, quales nunc rosæ apud nos quoque, quamuis rarius, inueniuntur. Sed nullum, meo judicio, florem pleniorem, elegantiorem & pluribus folijs refertū vidit hæc nostra ætas (harum rerum ad curiositatem vsque studiosa;) quam Pæoniæ ex Hispania, vt ajunt, primum allatæ, & jam vbiq; in hortis instructioribus frequentatæ, cujus in vnico flore vltra quingenta folia me aliquando numerare memini. At superueniente pluuia, vel nimio sole ardente, subitò folia decidunt, & decor omnis abit. Quod in tota vita nostra caduca, fluxa ac incerta (*Τὸ γὰρ ἀνθρώπινον οὐ παντάπασι βέβαιον. *Humana enim non sunt omnino firma, inquit Plato in Epistolis) vnusquisque obseruare, atque ideo fallacibus voluptatibus, quas breuissimas interdum longissima comitantur incommoda, minime indulgere debet.*

Festinat enim (*secundum Iuuenalem*) decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræque breuissima vitæ
Portio, dum bibimus, dum serta, vnguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Idem etiam Ouidius monet hisce versibus.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, ac spacio carpitur ipsa suo.

Alij addiderunt, MVLTIPLEX, MOX NVLLA, *indicantes simul & vanitatem & breuitatem mortalis hujus ac momentaneæ nostræ vitæ.*

TE

LXIII.

TESTANTE VI-REBO.



Pyramidis ſurgentem hederam munimine cernis?
Talis ſtat pietas fulta fauore DEI.

QVANQVAM Hedera sit ex numero istarum plantarum, quæ nunquam folia amittunt, sicuti quoque Olea, Myrtus, Palma, Pinus, Cupressus, &c: nihilominus tamen leui momento vel propter ipsius temporis incommoditatem, vel soli imperfectionem, aut alia de caussa decrescit & interdum plane exiccatur. Vnde Cardinalis Lotharingus Pyramidem hedera vestitam, in cujus apice Luna est apposita, quæ Regis Galliæ Henrici II. fuit symbolum, vsurpauit, eo designare volens, tam diu Hederam, id est, ipsummet in virore ac felicitate perstiturum, quousque Rex Henricus herus illius floreret, illumq; instar Pyramidis sustentaret. Idq; vnusquisq; alius fideliter ac pro viribus superiori alicui Domino inseruiens, ac vicissim illius beneuolentiam ac fauorem experiens sibi accommodare poterit. Sed multo adhuc rectius ad verum Dei cultum, & honorem transferre hæc licebit. Nam sicuti videmus hederam, vitem, lupum salictariũ & alias hujus generis plantas, propter imbecillitatem, innixu ad arborẽ, palum, vel murum egere: ita persuasum esse nobis debet, nos non posse alia ratione vlla assurgere, crescere vel florere, quàm accessu ad Deum Opt. Max. & gloria ejus pro viribus tuenda. Academici occulti Brixienses habent columnam, circa quam Smilax planta inuoluendo ascendit, cum tali dicto, VT ERIGAR.

VT PRI-

LXIIII.

VT PRIMVM CONTIGIT AVRAS.



Qui ſapit, ille animum peregrino obdurat in orbe,
Coralium extra vndas ſic abit in lapidem.

CORALIVM, *(inquit Dioscorides lib. V. cap. 97.) marinum esse fruticem constat, qui alto extractus, duratur statim atque emergit, tanquam offuso aëre protinus concrescat, atq; ideo Lithodendron vocatur. Vnde Ouidius in libro 4. Metamorphos. in fabula de Andromeda ac Perseo ejus proprietatem ita describit.*

Nunc quoque Coralijs eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant vt ab aëre, quodque
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

Ac libro XV. eiusdem operis inquit.

Sic & Coralium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Ad eundem modum etiam illi, qui patria ac proprijs laribus relictis, vbi molliter ac delicate viuere eis licuisset, sine tamē aliquo fructu ac vtilitate, instar Vlyssis sibi ppos͡uerunt explorare mores multorum & vrbes, atq; laboribus & peregrinationibus fructuosis prudentiam, ac rerum laudabilium copiam ac experientiam sibi comparare, instar Coralij aëre indurati judicium confirmatum & stabile ad quosuis casus ac euentus ferendos tandem consequuntur, & secundum Horatium,

——————est animus illis
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus dubijsque rectus.

Huc pertinet præceptum Isocratis, μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους. *Ne graueris lōgam viam ingredi ad vtilis alicujus doctrinæ professores. Quidq; Plato, & alij plurimi vtiliss. suis peregrinationibus consecuti sint, nemini est ignotum.*

LXV.

NATVRAE MATVRAVIT OPVS.



Quod natura breui maturum tempore perdet,
Cur adeò, huic fatum vim properare, doles?

*C*VM *Propheta Ionas ex vrbe Niniue rediisset, ac defatigatus, frustraq; expectans finem suæ prædictionis, quieuisset sub pergula hederæ sibi constructæ, (vt habet antiqua versio. alij enim cucurbitam interpretati sunt) somnumq́; cepisset: vermis quidam circa radicem erosit stipitem, vt paulo post hedera plane aresceret ac periret. Quare Propheta radijs solis grauiter percussus, atq; è somno excitatus, à tam vili vermiculo tam optatā sibi commoditatem fuisse ablatam grauissime lamentabatur. At Dominus* D E V S *hoc pacto illi voluit demō-strare, quantopere erraret, moleste ferens prædicationem suam de Niniuitis ratam non haberi, nec perpendens, cum tantopere ipse doleret jacturam illius Hederæ eum à calore solis defendentis, quāto magis displicere Deo deberet, tam magnam vrbem, præsertim veram pœnitentiam agentem, perire. Hoc exemplo quidam magnus vir (vt scribit Camillus de Camillis in suis Italicis symbolis,) seipsum voluit consolari ac ad patientiam constantiamq́; admonere, propter obitum filij sui magnæ expectationis; per hederam indicans præclaram spem de eo jam conceptam, per vermem autem ipsius mortem. Hoc modo sibi subijciens, quod vt alioqui tandem arida potuisset fieri hedera & perire, sic quoque mors, quæ paulo post filio forsitan imminebat, nonnihil fuisset accelerata, atque ideo etiam animo æquo esset ferendam.*

LÆTA-

LXVI.

LAETAMVR GRAVIORA PASSI.



Non æstu cytisus, non frigore, non niue læsus,
Spernere magnanimos omnia dura docet.

Cytisum

CYTISVM *fruticem, qui jam de ſententia D. Merantæ & Matthioli aliorumq́ꝫ exiſtimatur nobis eſſe notus) ſcribit Plinius lib. 13. cap. 24. inuentū eſſe in Cythno inſula, ac inde in omnes inſulas Cycladas, mox in vrbes Græcas magno prouentu cætei translatum, miraturq́ꝫ ideo Italiæ eſſe rarum. Eodem loco addit, Cytiſū non æſtuum, non frigorum, non grandinum aut niuis injuriam expaueſcere, & vt Hyginus adjecit, ne hoſtium quidem, propter nullam gratiam ligni. Qua occaſione à Rota, vt ſcribit Scipio Amiratus in Italico ſuo libro, de ſymbolis) Comiti polētiæ Neapolitano, ſtrenuo ductori militum, contra hoſtes cum multis fortiſſ. viris pro ſuo Rege expeditionem ſuſcepturo, & nullum laborem aut periculum ipſius cauſſa detrectaturo, hoc ſymbolum non ſine ratione aſſignatum fuit. Idq́ꝫ Seneca etiam, de Ira librum tertium & vltimum claudens, graui admodum Epiphonemate explicat huſce verbis. Dum inter homines ſumus, colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo ſimus: detrimenta, injurias, conuicia, vellicationes contemnamus, & magno animo breuia feramus incommoda dum. reſpicimus (quod ajunt) verſamusq́ꝫ nos, immortalitas aderit.*

Ac Liuius Decad. 1. lib. 4. breuiter grauiterq́ꝫ dicit. Labor & periculum impenditur, vnde honor & emolumētum ſperatur. Sic Virgilius,

O paſsi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

VT

LXVII.

VT PROSIT.



Felix qui potuit ſolerti mente, vel hoſte
In ſua conuerſo commoda ritè frui.

*Q*VEMADMOBVM *apes ad omnes quidem flores aduolant, quanquã interdum amari aliquid vel acris in se cõtineant humoris, quales sunt ranũculi & alij plurimi similes; nihilominus tamen succum quendam vtilem inde exugunt, ex quo non sine admiratione, postea miro artificio mel parant: Sic etiam sedulo magnoque studio ac judicio viris bonis ac doctis annitendum, vt non solum ex optimis ac selectißimis autoribus, sed alijs etiam nõ adeo cõmendabilibus scriptis, si quid boni illis insit, omnia ad vnicam vtilitatem publicam colligant, & posteritati commendent, vt hac ratione prodesse plurimis, nemini autem, si fieri queat, nocere poßint. Quod etiam Lucretius lib. III. hisce versibus eleganter expreßit.*

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignißima vita.

Huc pertinet quoque libellus D. Basilij, Quomodo sint legendi Ethnici scriptores, & non pauca hujus generis apud Clementem Alexandrinum habentur, quæ ad excolendum ac confirmandum hac in parte judicium plurimum conducere poßunt. Estq; Æschyli sententia hæc quoque obseruatione digna,

ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, ὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός.
Qui vtilia, non qui multa nouit, is sapit.

LEVI-

LXVIII.

LEVITER SI TANGIS ADVRIT.



Læditur is meritò paruum qui negligit hostem:
Fortiter vrticas qui premit, ille sapit,

VRTICA ob ſubtiles adeo acutosq́ foliorum aculeos, ſi manibus leniter contrectetur, magnum poſt ſe pruritum & acrimoniam ſatis moleſtam relinquit: contrà vero ſi plena manu fortiter comprimatur, parum nocere poteſt. Quo exemplo indicatur, exigua pericula quandoque, ſi negligantur, nec illis in tempore præſenti animo obuiam eatur, non contemnendas vires ſumere, & hominibus tandem plurimum exhibere negocij. Vnde etiam veteri prouerbio Germanico admonemur, paruū hoſtem, & exiguum vulnus non temere eſſe contemnendum, cum vtrumque principio neglectum leui aliqua occaſione vires ſumere, & nonnunquam plurimum damni inferre conſueuerit. Quare, vt poëta monet,

Principijs obſta: ſerò medicina paratur,
  Cum mala per longas inualuere moras.

Et vt Pythagoras: ἀρχόμενον τὸ κακὸν κόπτειν, *&c.*

De hoc ſymbolo quidam eruditum hoc carmen compoſuit.

Molliter vrticam ſi quis tractauerit, vret,
  Et timidas lædit tacta borago manus.
His tamen intrepido franguntur ſpicula preſſu,
  Hacq́ue omnis ſubitò pellitur arte dolor.
Res age, non magnis nec neglige viribus hoſtem,
  Sed leue quo poteris robore, tolle malum.

BRE-

LXIX.

BREVIS EST VSVS.



Vita fugax, quàm caussa leuis tua stamina rumpit?
Pulsa leui flatu sic Anemona cadit.

X 3 *Flos*

FLos Adonidis apud poëtas, ac præsertim Ouidium Anemone vocari videtur, cujus plures sunt species; flores elegantes sed caducos, profert phœniceos, purpureos, luteos & albos quoque. Alij florem Adonidis vocant quandam plantam, quam Herbarij Chamæmelum rubrum quoque appellant. Flos itaque Anemones vt est pulcherrimus, sic leui ventorum impetu, aut solis calore languescit & decidit, ejusq́ semen pariter facile in pappos abit. Desumtum autem est symbolum ex Ouidij X. lib. Metamorphos. vbi hi versus leguntur:

——————Nec plena longior hora
Facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus,
Qualem quæ lento celant sub cortice gramen
Punica ferre solent, breuis est tamen vsus in illo.
Namque male hærentem & nimia leuitate caducum
Excutiunt ijdem qui perflant omnia venti.

Estq́ hic typus quoque vitæ humanæ breuis ac fragilis, sicuti in multis alijs symbolis à nobis dictum est. Quidam referunt ad pulchritudinem sexus muliebris, qua sæpè nimium superbire seseq́ efferre solent fœminæ: cum secundũ Senecam in Tragœdia Octauia, Florem decoris singuli carpant dies.

Suntq́ue noti versus Ouidiani.

Forma bonum fragile est, quantumq́; accedit ad annos
Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.

Alij habent: GLORIA VENTO DISCVTITVR. *Nam Anemone nunquam se aperit, secundum Plinium lib. 25. cap. 23. nisi vento spirante, vnde & nomen accipit, & facile rursum eodem vento flores & semina discutiuntur. Quod Gloriæ vanæ & instabili, quæ non virtute solida nititur ac confirmatur, rectè possumus accommodare.*

DVM

LXX.

DVM RESPICIS ERIGOR.



O Sol justiciæ, sine te non fluctibus atris
Curarum potero tollere Christe caput.

De Loto

DE Loto multa ſcripſerunt veteres, Theophraſtus, Dioſcorides & Plinius, ac tradiderunt ſole occidente comprimi occludiq́, ad ortum autem aperiri; qui ſeorſim Nymphæam quoque deſcripſerunt. Sed Excellentiſſ. D. Medicus Venetus Proſper Alpinus in ſuo accuratiſſimo libro de Ægypti plantis nuper publicato, probare ſtudet, omnino vnam eandemq́ plantam eſſe Lotum ac Nymphæam, cum multis annis, quos in Ægypto medicãdo transegit, hanc plantam diligenter inquiſiuerit, ſed fatetur ſe plane omnes proprietates in Nymphæa obſeruaſſe quas Loto olim autores tribuerunt, nec aliam Lotum in tota iſta regione inueniri: quanquam, vt verum fatear, in radice aliqua ſit diuerſitas. At dubitari poſſit num in Euphrate Loti creſcẽtis, cujus potiſſ. meminere Theophraſtus ac Plinius, aliqua ſit differentia nec ne cum Ægyptia. De cauſſa vero hujus proprietatis, ſiue jam Nymphæa & Lotus idem ſint, ſeu non, diſputat Theophraſtus lib. II. de cauſſis plantarum cap. 25. à quo tamen nonnihil diſſentire videtur Iulius Cæſar Scaliger in ſuis commentarijs ad eundem librum, de quibus nimis longum eſſet hic diſſerere, quare ad ipſos autores remittimus ſtudioſum lectorem. Eſt autem ſignificatio hujus ſymboli cum alijs non paucis à nobis propoſitis communis, nimirum omnes noſtras cogitationes & actiones dependere à radijs æterni ſolis, Dei Opt. Max. qui ſua diuina bonitate & gratia omnia viuificat, conſeruat, & in lucem profert. Alij addunt: SIC ALMA LVX MIHI. *& vt quidam in more habent poſitum, ad ἐρωτικὰ accommodant.*

MODE-

LXXI.

MODESTA IVVENTVS, HONESTA SENECTVS.



Disce puer virtutem ex me, nec flore superbi:
Matura tollat fruge senecta caput.

VIDIT *inter alias rariores stirpes hanc etiam nouam plantam nostra ætas, quam vocant Turcico vocabulo Tusai, nam Constantinopoli allata est. alij Lilium Persicū, à natali loco, vulgo ob similitudinem Coronam imperialem siue regiam appellant, quam peritissimus rerum simplicium Carolus Clusius, summus meus amicus ad Hemerocallidem veterum non male referri posse existimat. Hujus flos maturus expanditur ac in suis proprijs pediculis plane deorsum flectitur, at quamprimū flaccescere incipit, succedunt illi satis magna capita, (vt quoq; in lilio rubro fieri solet,) quæ excusso flore statim sursum eriguntur, ne scilicet, si deorsum dehiscerent diutius, semina nondum matura putrescant ac excidant. Sic juuenes, quātumuis ingenij, vel corporis atq; fortunæ bonis ornati, singulari modestia sese submittere, nec ante tempus, (quod sæpe fieri videmus) exultare, superbire, & insolētiæ cristas erigere debent, cum secundum Salustium in bello Iugurt. contemtor animus & superbia, commune nobilitatis malum sit. Contra vero senes jam prudentia & vsu rerum confirmati, autoritatem suam tueri, ac bene monendo præcipiendoq; alijs præire jure ac merito possunt. Vnde etiam Cicero in lib. de senect. ait, Apicem senectutis esse autoritatē. Et versus græcus jubet expeti senum consuetudinē.*

Ὁμιλίας δὲ τῶν γεραιτέρων φίλει.

Notandum vero quod negligentia sculptoris, semina ante flores male sint posita.

MENS

LXXII.

MENS EADEM.



Christe tuos vultus semper venerabor adorans,
Vt Clytie ad solem germina pulcra rotat.

THEOPHRASTVS *celebris Philoſophus apud veteres, tum alibi tum lib. II. de cauſſis plantarum, reddit rationem quare flores nonnulli ad radios ſolis ſeſe aperiant, & multi ex illis cum iiſdem plane conuertantur. Clauduntur, inquit, hi imbecilliores nocturno frigore, ſolis vero tepore fouentur ac aperiuntur, qui reuocat calorem naturalem & à centro ad ambitum effundit, ſimulq́ humorem ſuperfluum educit. Quod tamen in nonnullis tantum noctu ſeſe aperientibus, interdiu vero claudentibus locum non habet, de quo hic diſputandi locus nō eſt conueniens, cum breuitati potiſſ. ſtudeamus. Id vero quod priore loco diximus, inprimis obſeruatur in duobus Heliotropiis maiore & minore, quæ etiam inde denominationem acceperunt, atq; ideo minus præſertim Italice adhuc Giraſole, & Hiſpanice Torneſole dicitur. Hujus autem ſymboli interpretationem ex Lactantio lib. 6. cap. 8. aſſumere recte poſſumus, vbi inquit: Itaq; ſi oculos in cælum ſemper intendis, & ſolem, qua oritur, obſeruas, eumq́; habeas vitæ quaſi nauigii ducem, ſua ſponte in viam pedes dirigentur, & illud cæleſte lumē, quod ſanis mentibus multo clarius ſole eſt, hic quem carne mortali videmus, ſic reget, ſi gubernabit, vt ad ſummum ſapientiæ virtutisq́; portum ſine vllo errore perducat. Digna profecto ſententia, quæ in animis omnium infigatur, ſemperq́; in recenti memoria retineatur. Alii adiiciunt,* SOLI ET SEMPER, *eadem ferme ſignificatione.*

HVMI-

LXXIII.

HVMILIBVS DAT GRATIAM.



Alta cadunt vitijs, virtutibus infima ſurgunt,
Hoc te mons ſterilis, vallis amœna monet.

VIOLÆ primi gratissimi flosculi vernales, hinc inde humi serpentes & in locis humilibus ad radices montium libēter crescentes, odore suaui ac beneolenti ab omnibus expetuntur, contrà montes etiam altißimi sæpe ob asperitatem & altitudinem plane remanent steriles, paruumq; vsum præbent hominibus. Vnde S. Petrus in sua 1. Epistola cap. vltimo. Humilitatem animi vobis infixam habete; propterea quod DEVS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et D. Chrysostomus in Epistolam S. Pauli 1. ad Corinth. 1. elegāter & breuiter monet, οὐδὲν οὕτω θαυμαστὸν ποιεῖ τὸν χριστιανὸν, ὡς ταπεινοφροσύνη: nihil ita Christianum admirabilem efficit, ac humilitas. Quod etiam Chilon Lacedæmonius vidit, qui interrogatus quid in cœlo ageret Deus, Alta, inquit, deprimit, & humilia extollit. Vel, vt Herodotus loquitur, ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα κολούει. Quod insuper poëta Lyricus cecinit, ex Hesiodo & Xenophonte s. ἑλληνικῶν translatū:

——————Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat DEVS,
Obscura promens.——————

Et alibi

Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In majus; ijdem odêre vires
Omne nefas animo mouentes.

Hesiodi vero locus insignis est initio statim lib. 1. ἔργων καὶ ἡμερ.

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.
Facile enim extollit, facile vero elatum deprimit,
Facile insignem minuit & obscurum auget.

PRO-

LXXIIII.

PROCVL ESTE PROFANI.



Sic tua majestas Deus une & trine profanos,
Vt reprobos angues alma triphylla fugant.

Trifolia

TRIFOLIA contra serpentum ac scorpionum ictus valere, si seminis grana viginti ex vino vel posca assumantur, vel folia ac vniuersa herba decocta vsurpentur; ac praeterea serpentem nunquã in trifolijs cõspici, autores sunt Dioscorides & Plinius. Quod quidem inprimis de illo quod Asphaltites vel Bituminosum vocatur, & à Scribonio Largo, qui illud plurimum commẽdat, ac scribit in Sicilia, ac portu Lunae se copiose reperisse, Trifolium acutum appellatur, (forsitan à foliorum figura) intelligi procul dubio debet. Non dissimili ratione homines profani, rebusq́ fluxis luxuiq́ue potiss. dediti, ab honestis ac laudabilibus praeceptis abhorrent, ac imperitum vulgus prauis opinionibus imbutum, vitijsq́, varijs obnoxium vtilissima monita virtutis ac honestatis respuit, illaque fugit. Vnde Horatius non exiguus morum magister pulcherrimã quãdam Oden, multis vtilissimis subjectionibus refertam, ita incipit:

Odi profanum vulgus & arceo:
Fauete linguis. ———————

Estq́, etiam Orphei versiculus hac in parte merito obseruandus,

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ᾽ ἐπίθεσθε βέβηλοις.

Iis fabor quos sancta decent, procul este profani.

Ac Plato inquit: οὐ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ἐστί, *id est, Nefas est, ab eo purum contrectari, qui purus ipse minime sit.*

PVL-

LXXV.

PVLCHRIOR ATTRITA RESVRGO.



Pulchrior vt crescat, teritur Crocus: ô furor ingens,
Lætior vt poßis surgere, nolle premi!

Theophrastus docet, et cultores hoc testantur, Croci plantam priusquam in florem sese exerat, conculcatam nonnihil ac pedibus leuiter attritam, postea pulchrius renasci feliciusq́; germinare. Sic viri fortes & animosi, atq; ad quæuis magna & egregia facta suscipienda ac expedienda nati & parati, tantum abest vt rebus difficilibus ac aduersis frangantur, vel deterreantur vt multo etiam inde reddantur alacriores & aptiores ad quæuis laudabilia facinora, virtutisq́; opera præclara subeunda atq; exequenda, sequentes adhortationem Sibyllæ apud Virgilium Æneid 6.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito
Quàm tua te fortuna sinet.

Quod etiam Ouidius 3. lib. Tristium hisce versibus cecinit,

Quæ latet inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturq́ue malis.

Vnde Dux Venetus præclarissimus ac de sua patria optimè meritus Petrus Lauredanus, difficilimis temporibus suæ Reipub. fidelem ac promtam admodum operā præstans hoc symbolo inprimis vti voluit. Alibi additum legimus, CONCVLCATVM VBERIVS. *Quod si hoc symbolum, quamuis ab alijs multis positum, non adeo est omnibus numeris perfectum, vt cætera quoq; nonnulla, ad Emblematum vel similitudinum classem poterit ablegari.*

ÆQVA-

LXXVI.

ÆQVARI PAVET ALTA MINOR.



Quid sibi Tarquinius? Cur summa papauera frangit?
Sors quia sic plebem terret iniqua patrum.

VALERIVS Maximus lib. 7. cap. 4. ex Liuio & alijs historicis refert, Sextum Tarquinium filium, cum diuturna obsidione expugnari ipsorum vrbs non posset, tandem ad Gabios confugisse, tanquam sæuitiam & verbera detestantem, & sic fictis blanditijs consecutum fuisse, vt apud omnes sua autoritate plurimum posset, & vrbem in sua quasi manu haberet. Quo facto familiarem quendam suum ad patrem clam misit quæsitum, quidnam deinceps fieri vellet. Iuuenili calliditati senilis respondit astutia: Nihil enim penitus respondit, sed seducto Legato in hortum, maxima & altißima papauerum capita ipso vidente & præsente baculo decußit. Cognito adolescens patris simul silentio & hoc ejus facto, non ignorauit, præcipi sibi vt excellentißimum quemque Gabinorum aut exilio mulctaret aut morte consumeret. Ergo spoliatam bonis propugnatoribus hoc modo ciuitatem patri tandem tradidit. Animaduertens, (vt inquit Paradinus) principem ad pacandam ac sedandam patriam etiam subditorum potentißimos quosq; illi obtemperantes ac deuinctos reddere debere. Quod tamen si tam manifesta vi, quàm occulta fraude cum aliorũ pernicie à principibus fiat, facile in crimen affectatæ tyranidis incurrere poterunt, quæ secũdum Euripidem est ἀδικίας μήτηρ, id est, mater injustitiæ, quando violento vnius ac injusto imperio præter mores & leges pro arbitrio omnia administrantur. Quod Claudianus pulchre describit, hisce versibus lib. 4. ad Honorium.

Qui terret, plus iste timet, sors ista Tyrannis
Conuenit, inuideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladijs viuant, septique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

SEVE-

LXXVII.

SEVERITAS ABDITA, CLEMENTIA IN PROMTV.



Quanta exto tellure juuo; nocet abdita radix.
Gratia sit celebris, non grauis ira ducum.

BETONICAM herbam vulgaris quidem notitiæ, sed multæ utilitatis Antonius Musa Augusti Imperatoris Medicꝰ celeberrimus peculiari scripto celebrare nō dubitauit. Radix tamen terræ abscondita si copiosior sumatur, vomitum concitat, & aliquid veneni in se continere existimatur. Sic Reges ac principes clementiam ac benignitatem suam omnibus notam ac testatam reddere, seueritatem autem occultare debent. Quod verbosius explicat Seneca in principio lib. I. de Clementia, quo in loco quædam principibus quasi monstrare ac dictare voluit, quæ singulis momentis secum meditari ac examinare merito deberent. Sic itaq; inter alia multa vtilissima præcepta eo in loco sub persona ipsorum loquitur, absq; dubio Neronem discipulum suum ad meliora cupiens præcepta assuefacere: In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum & contumelia, quæ sæpe tranquillissimis quoq; pectoribus patientiam extorsit, non ipsa ostentandæ per terrores, potentiæ, dira, sed frequens magnis imperijs gloria. Conditum immo constrictum apud me ferrum est, summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non cui aliena desint, hominis nomine apud me gratiosus est. Seueritatem abditam, clementiam in promtu habeo. Sic me custodio, tanquam legibus quas ex abdito & tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus sim. Hæc ille. Quo pertinet quoq; istud Ouidianum,

Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Cuique dolet quoties cogitur esse ferox.

Quamuis interdum etiam, secundum Cicero. in Epistola ad Brutum lib. XI. salutaris seueritas vincat inanem speciem clementiæ.

NON

LXXVIII.

NON METENTIS SED SERENTIS.



Pigra facesse manus, plenam ne collige messem:
Commoda frumenti qui petit, ille serat.

Nihil

NIHIL optatius accidere potest vnicuique, quàm suorum laborum ac operum videre & percipere tandem fructum aliquem & vtilitatem conuenientem, atq; contrà molestiss. est (quod sæpe vsu venire solet) si alij in nostram messem, vt in prouerbio est, suam falcem immittere partisq; aliorum frui conantur. Sic Agricolæ quoque per totum annum terram colunt, ac semina magna cura illi mandant, vt suo tempore messem optatam faciant, nec facile patiuntur ab alijs pigris ac inertibus pprios fructus sibi eripi. Docemur ideo ocium esse fugiendum, & semper honestis laboribus incumbẽdum, quod sacræ litteræ quoq; ab initio & passim monẽt: inprimis vero crebræ sententiæ in prouerbijs Salomonis & Syracidæ hoc nobis abunde subijciunt: quas hîc exponere nimis lõgum esset. Conuenit autem huic symbolo dictum S. Basilij valde elegans: Τίς ἐν καιρῷ σπορᾶς οἴκοι καθήμενος, ἐνστάντος τοῦ θέρους τὸν κόλπον ἐπλήρωσε τῶν δραγμάτων, *Quis sementis tempore domi sedens, instante æstate sinum suum manipulis impleuit? Et S. Nazianzeni eadem verba leguntur in oratione II. contra Iulianum,* οὐ τοῦ ἀμήσαντος ὁ στάχυς, ἀλλὰ τοῦ σπείροντος. *Horatius quoq; I. Sermonum Satyra 9, hæc suo more breuiter ac neruose protulit:*

——— Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Quod ex Epicharmo illum desumsisse credibile est, vbi ait, πρεπόντων πόνων πωλοῦσι πάντα τἀγαθὰ οἱ θεοί. *Cõuenientibus laboribus diui cuncta vendunt bona.*

BONVM

LXXIX.

BONVM ET MALVM.



Nerion antidotumq; viris, suibusq; venenum est,
Pagina sacra malis noxa, medela pijs.

RHODODENDRON *siue Rhododaphne, quod Nerion quoq; vocatur, planta elegantiss. & per totam æstatem amœnissimos flores proferens, teste Dioscoride lib. 4. cap. 72. mulis, canibus, asinis & alijs bestijs, quo ad flores ac folia, venenum est, at ab hominibus aduersus serpentũ morsus vtiliter è vino bibitur, præsertim ruta addita, (quamuis Galenus lib. 8. de facultatib. simpliciũ Medicamẽtorum hominibus quoq; perniciosum esse scribat.) Ita, secundum D. Augustinum in commentarijs Psalmi 48. omnia diuina elogia salubria sunt bene intelligentibus, periculosa vero his, qui ea volunt ad sui cordis peruersitatem torquere potius, quam cor ipsum ad eorum rectitudinem corrigere. Quod etiam S. Paulus 1. ad Corinth. 1. docet. Nam Sermo crucis, inquit, ijs qui pereunt stultitia est, at nobis qui salutem consequimur, potentia* DEI *est. De hoc eleganter in suo pegmate Petrus Costalius ita scripsit.*


Nobilis aspectu folioque virens Rhododaphne,
   Dicitur ægrotis esse medela viris.
Tollit & humano conceptum in pectore virus,
   Et læsis affert artubus antidotum.
Bruta tamen folijs animata extinguit eisdem,
   Hæc sunt scripturæ non aliena sacræ.
Illa pios rectà cœli deducit in axem,
   Sed nigrum reprobis addere Theta solet.
Et licet hoc toto nil sit præstantius orbe,
   In latum errorem noxia corda trahit.

Alibi ascriptum legimus, SIC SACRÆ LITERÆ, *sensu nimis manifesto.*

HAC

LXXX.

HAC VENENA FVGANTVR.



Moly venena fugat, fraudem sapientia pellit,
Hancpete, cum tot sint plurima monstra locis.

MOLY herbam describit Homerus Odyss. X. eamq́, inuentam tradit à Mercurio, qui cōtra veneficia & magicas artes Vlyssi illam tradiderit, vt ea aduersus fraudes & illecebras Circes, quæ ejus socios in varias bellunarum species mutabat, sese muniret. Quæ omnia mythologice accipi debent. Facultates enim animi quædam conspirantes cum affectibus, rationisq́, obœdientiam excutientes, & deinceps facile hinc inde exorbitantes, ad quæuis vitia homines abripiunt, atq́, secundum Horatium, Affigunt humo diuinæ particulam auræ, vnde propria forma exuti in diuersas bestiarum figuras transmutari dicuntur. At contra Vlysses vir prudens, ac multarum rerum vsu præditus, veræ rationis normam ante oculos habens, ac Moly sapientiæ, aduersus monstra prauorum affectuum vnicum amuletum præ se ferens, hæc facile omnia depellit, nec à statu suæ constantiæ se dimoueri vllis illecebris patitur. Plinius ex Theophrasto lib. 25. cap. 4. ita describit. Laudatissima herbarum est Homero, quam à Dijs vocari putat Moly, & inuentionem ejus Mercurio assignat, contraq́, summa veneficia demonstrat. Nasci eam hodie circa Pheneum et Cyllene Arcadiæ tradunt, specie illa Homerica, radice rotunda, nigraq́, magnitudine Cæpæ, folio Scyllæ, effodi autem difficulter. Alias hujus quoq́, differentias præter hanc, recentiores Herbariorum libri depictas exhibent.

LXXXI.

DVLCESCIT AMARVM.



Felle carent Ponti pecudes absynthia pastæ:
Ferre mala assuetus non malè ferre solet.

THEOPHRASTUS *lib. 9. cap. 18. de historia plantarum ait. Quod autem consuetudo plurimũ valeat, multis sane rationibus constat. Nam & absynthium pecora hujus tractus pascere negant. Pontica autem nimirum pascunt, vt pinguiora ac pulchriora reddantur, ac, vt quidem volunt, sine felle. Ad eundem modum Plinius lib. 24. cap. 9. sues assuetos cibum capere in vasis siue alueis è ligno Tamarisci confectis, Liene carere dicit. Quod tamen Excellentissimus Medicus D. Prosper Alpinus, qui in Ægypto, vbi harum arborum maxima copia est, Artem Medicam aliquot annis cum singulari laude exercuit, in suis libris quos de Medicina Ægyptiorũ, & plantis in illa regione nascentibus nuper edidit, fabulosum esse arbitratur. Quanta vero vis sit consuetudinis tam in bonam quàm malam partem, pluribus sententijs veterum, atq; etiam exemplis prope infinitis probari posset, sed non sunt hujus loci. Breuiter sane multa complexus est Aristoteles in libello de memoria & reminiscentia, vbi ait, ὥσπερ γὰρ φύσις ἤδη τὸ ἔθος, id est, Consuetudo est veluti ipsa Natura. Et Ouidius (quamuis ad amatoria male ista applicauerit,) hisce versibus explicat.*

——————Nil assuetudine majus.
Quod male fers, assuesce, feres bene, multa vetustas
Lenit——————————

DISPA-

LXXXII.

DISPAREM VITES.



Triste silex calamis, silici quoq; tristis arundo.
Qui socium cupies quærere, quære parem.

Scriptores

SCRIPTORES *Rei rusticæ tradunt naturale odium inter filicem & arundinem intercedere, ut simul enatæ non solum una alteram enecent, sed etiam vulnera alterutrius stirpe facta, contusa & imposita altera rursum sanetur. Quod etiam Cornelius Celsus hisce verbis memoriæ prodidit: Pessima ex surculis arundo est, quia aspera, eademq́ offensa etiam in filice est, sed usu cognitum utramq́ aduersus alteram medicamentum esse, si contrita superimponatur. Plinius verò ita scribit libro 18. cap. 6. Filices ajunt non renasci arundine sectas, aut exaratas arundine vomeri imposita, similiter & arundinē exarari vomeri imposita filice præcipiunt. Quod ratione alimenti fieri Doctissimus Costæus lib. 11. de uniuersa stirpium Natura, existimat. Filix enim pinguia, inquit, sponte amat loca, arundo verò macris facilius prouenit, quamuis insuper addat, peculiarem formarum aduersantem facultatem illis inesse. Admonemur hoc modo, eorum familiaritatem nobis esse fugiendam, qui ita sint animati, ut cum illis quasi innata contrarietate nobis nihil conueniat, quiq́ in omnibus contentiose aduersari alijs soleant. Cum (secundum Iulium Cæsarem) Magna ex dissensionibus incōmoda oriri soleant, & apud Ciceronem in libello de Amicitia rectè dicatur, Dispares mores disparia quoque studia sequi.*

QVO

LXXXIII.

QVO MOLLIVS EO SVAVIVS.



Officium ut faciat, nimis, ô Rex, ne preme plebem,
Suauius ut ſpirent, Ocyma ne terito.


OCYMVM, vulgo Basilicum dictum, suauiss. est odoris si mollius attrectetur, sin vero prematur vel plane cōteratur, ingratum spirat. De qua re extat lepida historia apud Augustinum Iustinianum Genuènsem historiographum lib. VI. Franciscus Marchio, inquit, Iurisconsultus egregius missus à Repub. Genuensi Orator ad Ducem Mediolanensem, cum is eum nollet admittere, nec pactis conuentis cum Genuensibus stare, captata occasione, obtulit eidem Duci manipulum herbæ Ocymi. Qui admirabundus quid sibi hoc donum vellet, quæsiuit quid rei esset, Cui ille respondit, ejusmodi proprietatem huic plantæ inesse, vt leuiter ac suauiter contrectata præberet gratum odorem, nimis autem duriter compressa & attrita, non solum omnem suauitatem perderet, sed etiam tandem scorpios produceret: habere autem se ingenia Genuensium eodem plane modo. Dux hoc ingenioso admodum responso plurimum delectatus, & sententiam priorem mutauit, & legatum honorifice dimisit. Clementia itaq; & lenitate plura consequimur quàm nimia vehementia. Quod Claudianus quoq; breui sed admodum præclara sententia monuit.

————Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit, mandataque fortius vrget
Imperiosa quies. ————

TRIBV-

LXXXIIII.

TRIBVLATIO
OPTIMA.



Si tritura absit, paleis sunt abdita grana:
Nos crux mundans separat à paleis.

REFERTI *sunt tam sacrorum quàm ethnicorum libri nõ solum dictis pluribus egregijs, sed etiam nonnulli integros libros conscripserunt, quibus docemur, magnam sæpe nos vtilitatem capere ex rebus aduersis, quas ipse* DEVS *ad nostri emendationem immittit. Sunt enim bonis & pijs vniuersa ista instar flagelli quo frugum fasciculos excutimus, frumentumq́ ipsum à paleis inanibus secernimus. Significat autem in sacris litteris tritura laborum & calamitatum exercitationem, iubemurq́ esse similes frumento, quod per trituram ac vẽtilationem fit mundius. Vnde D. Chrysostomus Homilia II. in III. caput S. Matthæi, Sicuti granum, inquit, inclusum in palea, foras non egreditur, nisi fuerit trituratum: sic & homo de impedimentis mundanis & rebus carnalibus, quasi in palea inuolutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. Idem D. Cyprianus Serm. IIII. de Mortalitate tradit. Quando area fruges terit, ventos grana valida ac robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur; sic S. Paulus post naufragia, flagella, post carnis & corporis grauia tormenta non vexari, sed emendari se dicit in aduersis. Huc pertinet vsitatum prouerbium,* παθήματα μαθήματα, *id est, quæ nocent docent.*

SIC

LXXXV.

SIC OPIBVS MENTES.



Vt volucres dementat Hyoscyami grauis herba,
Sic insana stupent pectora diuitijs.

HYOSCYAMVS *siue Apollinaris herba (Altercum quoque veteribus dicta,) propter nimiam suam frigiditatem inter Narcoticas plantas, idest, stuporem inferentes, refertur, sumtaq; copiosior etiam propter quandam facultatem occultam amentiam parit. Vnde hodie etiam incolæ vallis Ananiæ, (vt Matthiolus refert) sua lingua propter hunc effectum Italice nominant Disturbio, idest, mentem turbans.* ❡ *Ad hyoscyamum quoq; si aues aduolent, & potiss. semine ipsius non adeò ingrato pascantur, tandem stupidæ in terram decidunt, vt facile capi possint, exceptis tamen sturno ac coturnice, quæ aues illo impune vescuntur, idq; ob certam quandam formam similem, vt vult Theophrastus.* ❡ *Ad hunc modum plures homines nimio auri amore capti, nam secundum Tibullum*

Sæpè solent auro multa subesse mala,

& dulcedine diuitiarum irretiti, (sæpissimè à vera rationis semita aberrant, atq; tandem in perniciosiss. auaratiæ vitium,) fontem omniũ malorum, quasi mente capti detrudũtur. *Hoc Seneca in suis Epistolis & libello de Paupertate ex illis centonum instar collecto paucis verissime explicat. Diuitiæ, inquit, inflant animos, superbum & arrogantem pariunt, inuidiam contrahunt, & eousq; mentem alienant, vt fama pecuniæ etiam nobis nocitura delectet.* *Quod infinitum studium accumulandarum diuitiarum vbique in sacris etiam litteris plurimum reprehenditur, & Syracidæ præsertim cap. 27. & 31. tanquam loci communes quidam de eo consuli possunt. Liberales tamen opes & rectè vsurpatæ minime vituperantur, quas Sappho in versibus suis vocat* πλοῦτον κεκοσμένον ἀρετῇ, *id est, Diuitias virtute exornatas.*

ÆTER-

LXXXVI.

ÆTERNVMQVE TENET.



Inuidiæ vt virus vincas, imitare lacertam,
Vtq́, chamæmelo hæc, pectore te abde bono.

Lacerta

LACERTA viridis dicitur cum serpentibus acerrime pugnare, & si quãdo ab illis læsa, aut alioqui nimium defatigata fuerit, ajunt remedium vulneris, vel languoris nimij petere ab odorata Chamæmeli planta, totam in eam sese inuoluendo, atq; hac ratione vires pristinas recuperando. Constat autem hanc odoratissimis floribus abundare, quos lassitudini mederi, ac venenis quoq; resistere autor est Plinius. Sic etiam animus generosus semper sese grauibus ac infestis opponens fortunæ telis, contraq; inuidiæ venena occulta continuè pugnans, si quando sese hisce inferiorem & quasi defatigatum senserit, subinde ad cogitationes honestas & actionum heroicarum meditationem sese confert, & in illis quasi inuolutus seipsum recolligit, ac pristinam acquirit industriam ac alacritatem, qua aduersus rabiem & insaniam aduersariorum & maleuolorum jam jam quasi triumphantium eo fortius pugnare, illisq; resistere, & subinde etiam aliquid nouæ laudis atq; autoritatis cõquirere queat. Excellentissimus Medicus & suis accuratissimis scriptis optime meritus de posteritate, D. Petrus Forestus Hollandus, de Galega siue Ruta Capraria vulgo dicta, cujus contactu lacerta se contra viperam ita munierat, vt tandem superior euaderet, admodum luculentam historiam commemorat in suis commentarijs de falsa vrinarum prædictione. Vsurpauit autem hoc symbolum Illustriss. Dux Mantuanus Vincẽtius Gonzaga, de cujus laudabilibus gestis historiographi multa præclara litteris mandarunt.

DVM

LXXXVII.

DVM VOLVITVR ISTE.



Sol prius à cursu, quàm mens proba tramite recto
Flectatur, semper vindice tuta Deo.

ALoe, quod vulgo ob perpetuam viriditatem in Italia Semperuiuum quoque vocatur, à sole inprimis fouetur, & cum eius radijs flores illius elegantissimi circumaguntur. Ita quoque actiones præclaræ ac laudabiles à Sole iustitiæ, id est, Deo Optimo Maximo conseruantur, semperquè durant, nec à malis ac inuidis hominibus, tanquam crassioribus nebulis vnquam possunt obscurari vel labefactari. Ad quod cum sibi omnino respiciendum censuisset clariss. ac fortiss. vir, Matthæus Bembus Senator Venetus præcipuus, hoc symbolo non absq; ratione ab ipso vsurpato id indicare voluit. Cum enim Barbarossa summus Turcici tyranni thalassiarchus cum magno exercitu Castellum nouum in Dalmatia oppugnasset ac tandem occupasset, Anno Christi M. D. LXXI. non sine ingenti clade Christianorum, & ob ipsius non contemnendos progressus, omnes deinceps metuerent, ne Italiæ ac inprimis Apuliæ vim inferret, Bembus eo tempore Prætor à Veneta Repub. Cathari constitutus, vrbem sibi commissam contra ingẽtem hostium impetum non sine omnium admiratione fortiter defendit ac conseruauit, cum neq; minis nec blanditijs vllis hostium ab honestissimo suo proposito dimoueri posset, sicuti literæ tam ipsius quàm Barbarossæ editæ in Italica lingua satis superquè demonstrant.

LXXXVIII.

LANGVESCO SO-LE LATENTE.



Marcidus vt flos hic languescit sole latente,
Cœlesti sapimus sic sine luce nihil.

PVLCHERRIMVS flos, & si quis alius inter omnes insigni varietate colorum admirādus, quem à forma Turcici pilei Tulipam nominant, quæ vero fuerit planta apud veteres nondum plane constat, quamuis pertinere ad Narcissos peritiores nonnulli Rei Herbariæ cōijciant, nunc passim in hortis colitur, qui celeriter ad radios solares sese pandit, illis vero sese occultantibus, aut pluuia tempestate superueniente, statim rursum clauditur ac languescit. Qua similitudine motus Carolus Gonzaga ex nobilissima familia Ducum Mantuæ oriundus, hoc symbolum sibi elegit cum dicto Hispanico admodum arguto, & breui ejusmodi, Syn sus raios, mys desmajos, id est, Sine tuis radijs ego marcesco. Licebit autem hoc diuersis modis interpretari, nam, vt alia hujus generis jam exposita, potiss. ad veram illuminationem cœlestem potest referri, vt canitur in Ecclesiastico hymno: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium. Præterea non male quoque accōmodabimus ad fauorem & benignitatem alicujus magni Principis, cujus ope & subsidio speramus nos posse emergere, ac in statu felici semper perdurare. Alij deniq. ad aliam rem adamatam, in qua florescente quasi viuere ac valere se existimant, transferre quoq. solent.

SEMPER

LXXXIX.

SEMPER INCLY-TA VIRTVS.



Quamlibet è medijs consurgunt lilia spinis:
Sic virtus ipsis crescit ouatq; malis.

LILII flos candidißimus ac odoratißimus, quamuis vndiq; horridis ſpinis ſit circumſeptus & moleſtatus, nihilominus tamen eminet, & odorem ac candorem omnibus retinet, omnibusq; communicat. Sic etiam virtus inclyta, quæ ſecundum Ariſtotelem 2. Ethicorum ſemper verſatur circa difficilia, tandem emergit ac conſpicuam ſeſe vniuerſis exhibet, quamuis improborum ſtimulis ac inuidiæ morſibus ſæpe petatur ac exerceatur. Quod D. Chryſoſtomus grauiter explicat, οὐκ ἔστι, (inquiens) τὸν τῆς ἀρετῆς ἐπιμελούμενον, μὴ πολλοὺς ἔχειν ἐχθρούς, ἀλλ' οὐδὲν τοῦτο πρὸς τὸν ἐνάρετον. Διὰ γὰρ τὸ τούτων λαμπρότερος ἔσται μειζόνως, id eſt, Non aliter fieri poteſt, quin ille qui virtutis ſectator eſt quam plurimos hoſtes habeat. Sed nihil hoc virtuti deditum mouet, nam propterea longe illuſtrior euadet. Quod Horatius paucis quoque expreßit.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.

Vſus eſt hoc ſymbolo doctißimus vir D. Nicolaus Stopius, (vt Ruſcellus in Italico ſuo libro indicat) qui olim in Italia ſingulari mihi familiaritate fuit coniunctiß. cum integro hoc verſiculo:

Fluctibus in medijs ſpiniſque vt lilia creſcit.

Alij addunt, CASTA PLACENT SVPERIS. *Nam pudicitiæ ac virginitatis florem eſſe lilium D. Hieronymus quoque in explicatione Cantici canticorum tradit. Sunt autem integri verſus Tibulliani tales.*

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

VIGI-

XC.

VIGILATE TIMENTES.



Paßim fraus cæcis latet insidiosa tenebris:
Ne capiare caue, & sobrius aduigila.

Apud

APVD *Virgilium Ecloga III. hi ponuntur versus.*

Qui legitis flores, & humi nascẽtia fraga,
Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis
in herba.

Qua similitudine admonemur, ne plausibilia quidem & speciosa, reipsa vero non solum inutilia, sed perniciosa quoq; dum persequamur, in opiniones absurdas, prauas & à vero nos longissime abducentes incurramus, memores præcepti Theognidei.


Πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι,
Ac mentem species fallere sæpe solet.

Alij ita interpretantur, vt herbas ac flores elegantes accipiant pro diuitijs, quæ deliciarum ac aliarum voluptatum odores suauiss. spargunt, in quibus tamen sæpissime latet serpens iste vitiorum, superbiæ scilicet, prodigalitatis immodicæ, ac luxuriæ omnia tandem Labefactantis, per quæ nõ solum valetudinem bonam, sed vitam insuper ipsam multi amittunt. Atq; eodem modo per alia quoq; felicitatis genera licet hæc deducere, vbicunq; enim modum excedimus, nec veram moderationem animi ante oculos habemus, nunquam ad veram virtutem, quæ in mediocritate quadam consistit, & animi tranquillitatem solidam peruenire possumus. Vnde verisimile est Iulium Contarenum Nobilem Venetum, cujus hoc fuit vsitatum symbolũ, hoc pacto ab amoribus illicitis, in quibus veneni plurimum latitat, tacite se voluisse abstrahere. In Italico libro Camilli additur, LATET.

DE PAR-

XCI.

DE PARVIS GRANDIS ACERVVS.



Spica fuit primò, quem nunc est cernere fascem.
A paruis facimus munera ad ampla gradum.


QVEMADMODVM à spicæ collectione progredi solemus ad manipulum coaceruandum, ac pariter deinde à manipulo ad fascem ipsum: sic etiam sedulitate, industria ac prudentia paulatim, atq; secũdum Platonem in Theæteto, σμικρὰ ἀπὸ σμικρῶν τῶν δυνάμεων addẽtes, infimæ sortis homines ad majora, & tandem ad maximum dignitatis gradum peruenire solent. Quo si, diuina liberalitate promoti ascenderint, rectiss. faciunt, si tempestiue gradum sistant, ac sibi laudabilem istam ac fortunatam reipsa αὐτάρκειαν, id est, rerum sufficiẽtem vsum, tanquam diuitiarum terminum conuenientissimum pro vnico scopo proponant. Nam secundum Salomonem prouerbiorum cap. 27. Qui custodit ficum, comedet fructum ejus. Suntque ejusdem sententiæ Hesiodi versus in ore omnium.

Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦθ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.
Adde paruum paruo, paruo supperadde pusillum,
Tempore sic modico magnum cumulabis aceruum.

VITA

XCII.

VITA TAMEN SVPEREST.



Viuacis succi ut plenam hanc mirantur, & ornant:
Sic homines præstant dotibus ingenij.

Onnullæ plantæ reperiuntur, quæ propter tenacem & copiosum adeo succum alimentarium, humidique proprij cum calore mistionem satis conuenientem, diu integræ grato virore supersunt, ac insuper à terra auulsæ, ac laquearibus ædium suspensæ, si modo nonnihil circa radices interdum humectetur, per annum & vlterius non solum virent, ac crescunt, sed etiam flores producunt. Inter quas Aloë inprimis, itemq; Semperuiuum, ac Telephium quorũdam, vulgo Crassula dicta, potissimum numerare licet. Ita viri docti & sapientes grato promtoq; labore, sineq; omni inuidia suæ eruditionis, virtutis ac prudentiæ monumenta libenter posteritati communicant ac consecrant, memores voti egregij apud Propertium:

Attamen exiguo quodcunque è pectore riui
Fluxerit, hoc patriæ seruiat omne meæ.

Quare etiam recte in illis adhuc quasi viuere, & quamplurimis prodesse hoc pacto censentur, nec illorum præclara dicta ac facta vlla vnquam abolere potest vetustas, vt recte Ouidius cecinit:

Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.

Et alibi idem Propertius:

At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

NON

XCIII.

NON TIBI SPIRO.



Prauis est animis virus doctrina salubris:
Sic lutulens fugit at porcus amaracinum.

HOC ſymbolum explicat Eraſmus in ſuis Adagijs Chiliad. 1. Centuria 4. prouerbio 38. Nihil cum Amaracino ſui, hoc eſt, Stolidis ac impuris vel optima ſordent ac diſplicēt, non aliter ac Amaracus, vel Amaracinum vnguentum male olet ſui beſtiæ fætoribus ſeſe oblectanti, cum ſit ſecundum Virgilium, amica luto. Seruius in lib. 1. Æneid. ſcribit Amaracum puerum ſuiſſe Regis vnguentarium, qui caſu lapſus dum ferret vnguenta, majorem confuſione odorem excitarit, vnde optima vnguenta Amaracina dici cæperunt, & ideo hunc poſtea fabulæ tradiderunt in herbam Amaracum eſſe conuerſum. Sic etiam bonæ litteræ hominibus rudibus & malè inſtitutis ſunt aduerſiſſimæ, quemadmodum ſuillo generi vnguenta odorata. quare ab illis abſtinere debent. Lucretius 6. libro quoque hæc habet.

Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Vnguentum: nam ſetigeris ſubus acre venenum eſt,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima cum ſit
Spurcities: eadem ſubus hæc tam munda videtur
Inſatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Scribunt etiam quidam in Arabia ſuillum genus non poſſe viuere, quod ea regio ſit plena odoramentorum. Vnde inſuper alterum prouerbium enatum, ὗς διὰ ῥόδων. *Sus per roſas.*

NVLLIS

XCIIII.

NVLLIS PRAESENTIOR ÆTHER.



En crucibus fœcunda inter Scyllam atq; Charybdim,
Herba viret, gentis nonne ea fata piæ?

In opinio-

IN opinionibus Italice conscriptis ac editis de simplicibus Aloysij Anguillaræ (olim præfecti horti Medici Patauini;) legimus Tripolium nasci in scopulis quibusdam sitis inter Scyllam & Charybdim ad mare Siculum, quod flores proferat similes violæ quæ dicitur matronalis, semen vero alij volunt in suis capsulis referre figuram crucis, quale & nos habuisse meminimus. Siue autem hoc vere ita sese de natali loco hujus plantæ habeat, seu ab alijs acceptum retulerit (cum alia quoque ab Herbarijs Tripolia, cujus flores ter in die mutentur, depicta exhibeantur) autor hujus symboli hac allegorica inuentione voluit exprimere, etiam inter grauiss. tempestates, & calamitates multiplices in hoc mundo, pios homines vnicam spem in Deum æternum collocantes, semper conseruari ac à præsentibus & imminentibus periculis protegi ac custodiri: cujus rei in sacris litteris tot sunt certissimæ promissiones, ac exempla euidentissima, vt vix vno volumine comprehendi possent. De vltima vero littera Tau Hebræorum, quæ crucis similitudinem repræsentat, multa cognoscere licet apud D. Hieronymum in commentarijs Ezechielis cap. 9. & in Euangelium S. Marci. Plura etiam Goropius Becanus in suis Hieroglyphicis exponit.

FLECTI-

XCV.

FLECTIMVR NON FRANGIMVR.



Flectitur obsequio, sic vincit arundo procellas.
Læditur aduersum qui sua fata furit.

CVM Alexandri ſexti Pontificis Romani temporibus, familia Columnenſium ampliſſima ac potentiſſima, ex vrbe exacta, ac omnibus bonis & honoribus ſpoliata eſſet, idq́; propter cauſſas nonnullas, quas hîc recenſere non eſt operæ pretium: omnes ex illa conceſſerunt in Regnum Neapolitanum, cujus Reges ſemper ſingulari fauore ipſos ſunt proſecuti; Perq́; hoc ſymbolum ſatis quidem aperte demonſtrare voluerunt, quod etiamſi fortuna eo tempore plurimum illis aduerſaretur, & grauiſſime ipſos premeret, nihilominus ita ſatis afflicti, generoſum tamen animum nullo modo deponentes, nonnihil quidem aduerſariorum furori ac vehementiæ ad tempus cedere vellēt, ita tamen vt non dubitarent, ſuorum conſtantia ac magnanimitate, poſt tot procellas ac tam graues tempeſtates rurſum ad priſtinam dignitatem ſeſe peruenturos eſſe. Quod etiam paulo poſt contigit, poſteaquam Fredericus Rex Neapolitanus ipſos in ſuam fidem recepiſſet, ac amplis ſtipendijs auxiſſet. Aiunt autem hujus ſymboli autorem fuiſſe doctiſſimum virum ac celeberrimum poëtā Iacobum Sannazarium. Adrianus Iunius in Emblematis addidit εἴξας νικῶ, VICTRIX ANIMI ÆQVITAS, *Cum hoc erudito tetraſticho, ad Victorem Giſelinum Medicum eruditiſſ.*

Vis Boreæ obnix as violento turbine ſternit
  Ornos, Arundo infracta eandem reſpuit.
Fit victor patiens animus cedendo furori.
  Inſiſte, Victor, hanc viam & re & nomine.

DIA-

XCVI.

DIARII OMNES.



Extremam statuas vt quamlibet esse dierum,
Fida tibi monitrix Hemerocallis erit.

I*NGENIOSISS. vir Ludouicus Viues in suo libello, quem inscripsit Satellitium animi, ex Quintiliano in Mathematico hæc adducit. Si omnia vitæ diligenter excutiantur, quid est aliud vita quam dies vnus? vt mirandum sit non exatiari homines ijsdem toties redeuntibus. Vnde alius dixit, Diarij omnes. &c. Infinita quidem ejusmodi dicta alia reperiuntur, quæ Pindarus videtur paucis. verbis compræhendisse in Pythijs hymno octauo,*

Ἐπάμεροι, τί δὲ τίς, τί δ᾽ οὔ τις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι.

Diurni, quid autem aliquis, quid vero nullus?
Vmbræ somnium homines.


Cum enim nihil sit inanius vmbra, reperit tamen adhuc aliquid inanius, nimirum vmbræ somnium.

Etsi autem alia planta rectius Hemerocallidi conuenit, de quo aliàs: vulgo tamen hanc quoque hoc nomine appellant, quæ aliter Lilium Arundinaceum siue tuberosum, flore nonnihil croceo, vocatur. Vulgus apud nos lilia mortua, vernacula lingua nominat, ab effectu scilicet, nam singulis diebus vnicus flos sese aperit, reliquis ferme omnibus marcescentibus, vt ita lilia ἐφήμερα *dici queant. Apud Ludouicum Viuem legitur,* TOTA VITA, DIES VNVS. *Meum symbolum est,* ἐφήμερος ὁ βίος, *id est,* VITA DIVRNA MEA EST.

NVLLO

XCVII.

NVLLO DOCEN-TE MAGISTRO.



Vtilis attrahitur plantis, at noxius humor
Spernitur. Anne homines in sua damna ruent?

OBSERVATUM est ab indagatorib' & cultoribus stirpium inter alia Naturæ admiranda opera etiam hoc, quod quædam Cucurbitæ genera ita humiditate aquæ delectentur, eamque sic appetant, vt vase ca pleno vel fructui vel radici applicato, manifeste paulo post deprahendatur, cucurbitam non solum ad istud vas liquore impletum sese inclinare, sed etiam illum quasi pedetentim ex vase absorbere atq; consumere: contra vero si oleum eodem modo cucurbitæ admoueatur, illud quasi contrahendo se respuere, ac incuruatam tandem tabescere. Cum itaque hæc & alia hujus generis plurima Natura, recte ideo ab Hippoc. VI. Epidemiorum section. V. vocata ἀπαίδευτος, id est, ab aliјs non edocta vel instituta, factitare soleat, atq; insita vi sine vlla hominum sagacitate tam in plãtis quam aliјs rebus expetat vtilia, ac fugiat noxia: multo profecto magis homines ratione præditi, atque ἐκ προαιρέσεως, vt philosophus loquitur, agentes, omnia quæ ad vitam honeste ac laudabiliter instituendam, virtutemq; sequendam, prodesse possunt, semper appetere, contraria vero omnibus modis fugere debent. Est autem hoc hemystichium ex Martiale sumtum. Quidam apponunt, NATURÆ NON ARTIS OPUS.

HOC

XCVIII.

HOC OMNIS CARO.



Quisquis es, hunc fœni qui spectas fortè maniplum,
Respice te: Fœnum es: pone supercilium.

Plutarchus

PLVTARCHVS *in vita Romuli scribit, cum primum populum in centurias distribuisse, quarum vnamquamq; vir vnus ducebat, qui manipulum fœni ac herbarum siccarũ in conto affixum gestabat, vnde militibus manipularijs nomen est inditum. Idq; Ouidius quoq; lib. 1. Fastorum notat,*

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Vnde maniplaris nomina miles habet.

Hoc postea imitati Christiani (longe quidem sensu meliore) vitæ humanæ breuitatem & fugacitatem ita voluerunt exprimere, secundum grauiss. dictum Isaiæ cap. 40. Omnis caro fœnum, & vniuersa gloria hominis sicuti flos fœni, (vel vt alij) agri. Exiccatum est fœnum & cecidit flos, quia spiritus Domini insufflauit in eo, &c. Idemque Psalmus 102. exponit, cujus sententiam Eobanus Hessius hisce versibus descripsit.

Est homo persimilis fœno per prata virenti,
Vt breuis in pingui quæ rosa floret agro.
Quam simul attigerint vrentis flamina venti,
Aret, & exiguo victa calore jacet.

Esaiæ dictum vero sic expressit amicus noster, dum in terris agebat, optimus, Matthias Bergius [redacted]

Instar est mollis caro nostra fœni,
Quod per herbosos adolescit agros;
Suaue dum flatu vegetante vernat
Aura Fauoni.
Sirij fœnum feriunt calores,
Candidos Cauri perimuntq; flores:
At DEI sermo stat, & omne firmus
Durat in æuum.

HIS

XCIX.

HIS ORNARI AVT MORI.



Fronde oleæ, lauri, quercus contexta corolla
Me decoret, ſine qua viuere triſte mihi.

TRIA hæc serta concinnata videmus ex Olea, Lauro, & Quercu, quarum arborũ proprietates ac mythologicas veterum interpretationes, in aliis symbolis explicauimus. Hanc vero admodum ingeniosam inuentionem symbolicam vsurpare, semperque ante oculos habere voluit illustris Franciscus Columna Stephani filius, hoc pacto se & alios admonẽs, cogitationes & actiones nostras semper eo intentas esse debere, vt aut huice tribus corollis, quibus indicatur sapientia, doctrina ac rei militaris peritia, ad conseruationem communis patriæ laudabiliter ornemur, aut si aliter fieri nequeat, in tam honesto ac vtili Reipub. instituto vitam quoque nostram impendere non dubitemus. Ac profecto iuuenis iste generosus & ad quæuis magna natus atque educatus, cum in hoc suo proposito constantissime perseueraret, in ipso flore suæ iuuentæ in viuis esse desijt.

SPES

C.

SPES ALTERA VITÆ.



Securus moritur, qui scit se morte renasci:
Non ea mors dici, sed noua vita potest.

*F*RVMENTORVM *ac leguminum semina ac grana in terram projecta, ac illi quasi concredita, certo tempore renascuntur, atq; multiplices fructus producunt. Sic nostra etiam corpora, quamuis jam mortua, ac terrestri sepulturæ destinata, in die tamen vltima resurgent, & piorum quidem ad vitam, impiorũ vero ad judiciũ. Qua similitudine S. Paulus quoq; uti voluit in priori Epistola ad Corinthios cap. 15. vbi ait: Seminatur corpus in corruptione, & surget in incorruptione. Quem locum D. Ambrosius explicans præclare hæc subijcit. Si ergo, inquit, gramen seminatur, vt, Dei nutu quoddammodo elementorum ministerio vestitum resurgat, multa secum habens incrementa vtilitatis humanæ: cur non credibile sit, Dei virtute mortuum posse resurgere, meliore tamen reddita substantia, non numero multiplicatum? Et D. Chrysostomus in Homilia de Resurrectione idem tradit. Etenim semina, ait, nisi prius moriantur & putrescant ac corrumpantur, non pariunt aristam. Sicut igitur qui videt ibi gramen quod corrumpitur & dissoluitur, non dubitat de resurrectione, sed certissimã demonstrationem vsurpat, (nam si ita maneret & non corrumperetur vel dissolueretur, certum quod nunquam resurgeret) sic cogita & in corpore tuo; cum vides corruptionem, tunc potiss. de resurrectione philosophare. Quid quod Saluator ipse ad hãc considerationem nos reuocat? Sic enim ait Ioann. cap. 12. Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti in terram delapsum mortuũ fuerit, ipsum solum manet. Si verò mortuum fuerit, copiosum fructum fert &c. Alibi legitur,* SPES VNA SVPERSTES, *nimirum post funus.*

CANDIDO LECTORI S.

DECET omnino viros ingenuos & doctos à crimine ambitionis quàm longiß. abesse, nec vllo modo propriam laudẽ sibi comparare ex aliorum laboribus occultatis vel sibi vendicatis, sed libere semper ac candide fateri, per quos profecerint, & à quibus fuerint in suis lucubrationibus elaborandis potiß. adiuti. Hos quoque mihi semper imitandos esse existimans, hoc loco sine omni inuidia, plurimorum tam veterum quàm recentium, quorum scripta legi, & dicta huic meo libro inserui, nomina ordine recensere studui. Disticha vero cæpit magna ex parte adijcere Ioachimus Jun-

germannus sororis meæ filius P. M. iuuenis erudite doctus & ad Artem Medicam, quæ præsertim tractat cognitionē Medicamentorum simplicium, excolendam & amplificandam plane natus. Qui procul dubio etiam suæ doctrinæ breui specimen egregiū exhibuisset, & expectationi apud Germanos & Italos de se excitatæ, abunde satisfecisset, nisi cupiditate nimia perlustrādi ac adeundi exteras regiones, in quibus aliquid singulare & ab alijs nondum annotatum obseruaret, incitatus, tandem in itinere Constantinopolitano per mare cum alijs suscepto, febre ardente in naui correptus, immatura morte cum magno dolore meo & plurimorum, ac desiderio singulari, (qui illum loco filij habui & semper dilexi plurimum) fuisset è medio sublatus. Quod itaque adhuc restabat in illis complendis, absoluit studiose Eruditißimus vir & Jurisconsultus doctiß. D. Cunradus Riters-

husius

husius Academiæ Altorfiensis professor diligentiss. singularis amicus meus. Quare si hæc carmina lectori placuerint, hisce duobus merito acceptū referre debebit. Vale.

Academici occulti Brixienses.
Æschylus.
Aloysius Anguillara.
Andreas Alciatus.
Andreas Pallazius.
Aristoteles.
Aristophanes.
D. Augustinus.
Augustinus Iustinianus Genuensis.

Bartholomæus Maranta.
D. Basilius.

Camillus de Camillis.
Carolus Clusius.
Cassius Parmensis.
Catullus.
Claudianus.
Claudius Minos.
Clemens Alexandrinus.
Cornelius Celsus.
D. Cyprianus.

Dioscorides.

Eobanus Hessus.
Epicharmus.
Epictetus.
Erasmus Roterodamus.
Euripides.

Galenus.
Gellius.
Goropius Becanus.
D. Gregorius Nazianzenus.
Guilhelmus Paradinus.

Herodianus.
Herodotus.
Hesiodus.
D. Hieronymus.
Hieronymus Ruscellus.
Homerus.
Horatius.

D. Iohannes Chrysostomus.
Iohannes de Boria Hispanus.
Iohannes Sambucus.
Iohannes Costæus.
Ioannes Pierius Valerianus.

Isocrates

Isocrates.
Iulius Cæsar.
Liuius.
Lucanus.
Ludouicus Viues.
Ludouicus Dulcis.
Matthias Bergius.
M. Tullius Cicero.
Mar. Antonius Flaminius.
Martialis.
Menander.
Nicolaus Reusnerus.
Orpheus.
Ouidius.
Paulus Iouius.
Petrus Crinitus.
Petrus Andreas Matthiolus.
Petrus Forestus.
Petrus Costalius.
Philo Iudæus.
Phocylides.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Proclus.
Propertius.
Prosper Alpinus.
Sappho.
Scipio Amiratus.
Scribonius Largus.
Seneca philosophus.
Seneca Tragœdus.
Silius Italicus.
Sophocles.
Stobæus.
Strabo.
Syracides.
Terentius.
Theodoretus.
Theognis.
Theophrastus philosophus.
Thucydides.
Tibullus.
Valerius Maximus.
Virgilius.
Vitruuius.
Xenophon.

SYMBOLORVM ET EMBLEMATVM SECVNDVM LITTERARVM SERIEM INDEX.

g Hoc omnis

INDEX RERVM, AC VERBORVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HAC CENTVRIA CONTINENTVR, PAVCISQVE exceptis semper in altero paginæ latere reperientur.

Balsamum

Iusti diu

Quæ

Veritatis

F I N I S.

Θεῷ δόξα.

Noribergæ impensis Johannis Hofmanni, & Huberti Camoxij.